This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

G. D. 1858. I b 76.

Harvard College Library

FROM THE FUND GIVEN BY

Stephen Salisbury

Class of 1817

OF WORCESTER, MASSACHUSETTS

For Greek and Latin Literature

VARIAE LECTIONES

LIBRORUM ALIQUOT

M. T. CICERONIS

EX

CODICE ERFURTENSI

ENOTATAE

AB

EDUARDO WUNDERO.

ACCESSIT PRAEFATIO DILIGENTEM CODICIS DESCRIPTIONEM MULTASQUE CICERONIS SCRIPTORUM INTERPRETATIONES ET EMENDATIONES CONTINENS.

LIPSIAE

SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI

MDCCCXXVII.

Lc 40.696

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
MAY 26 1965

VIRO EXCELLENTISSIMO

CAROLO HAHNIO

REGI BORUSSORUM POTENTISSIMO A CONSILIIS REIPUBLICAE ADMINISTRANDAE RERUMQUE SCHOLASTICARUM IN CIVITATE MAGDEBURGENSI

PROCURATORI MERITISSIMO

D. D. D.

EDITOR.

CAROLO HAHNIO,

VIRO EXCELLENTISSIMO

S. D. PL.

EDUARDUS WUNDERUS.

Non mirabere, quid sit, quod Tibi, vir excellentissime, quocum nulla mihi adhuc intercesserit consuetudo, tenue hoc opus meum consecrare sim ausus. Singulari enim et praeclara Tua liberalitate et humanitate factum esse, ut opus, quod Tibi offero, conscribere possem, minime Te fugere potest. Anno enim superiore cum vehementer cuperem codicem, qui in bibliotheca regia Erfurtensi asservatur plurimaque M. T. Ciceronis scripta continet, inspicere et perlegere, Teque cum Kiesslingio, viro eruditissimo mihique amicissimo, precibus adiissem, ut eius cognoscendi mihi fieret potestas: animo promptissimo Tu, qui tum temporis in civitate Erfurtensi idem quod nunc Magdeburgi munus summa cum

laude et gloria administrabas, ad Viros Summos, qui rebus regis Borussorum potentissimi praesunt, de petitione mea retulisti. Quorum virorum liberalitas quamquam summis celebranda laudibus est, quod mihi extero codicem illum in longum temporis spacium benignissime commodandum censuerunt, tamen Te auctore cum illo me ornatum beneficio sentirem, non potui hunc librum divulgare, quin gratissimi mei erga Te animi testis esset. Itaque qua Tu benivolentia, cum primum per litteras Tibi innotuissem, me complecti non recusasti, eadem rogo Te ut leve, quod ad Te mitto, munusculum accipias. Deus autem optimus maximus faxit, ut per longam annorum seriem patriae Tuae prodesse possis, virtutumque Tuarum ac laborum fructus capias uberrimos et diuturnos. Vale mihique fave. Scripsi Grimae, III. ante Nonas Ian. MDCCCXXVII.

PRAEFATIO.

Codicem Erfurtensem, quem denuo cum editione Ernestiana contuli, praestantissimis libris manu scriptis, qui aliquot M. T. Ciceronis opera contineant, accensendum esse, una et consentiens hominum doctorum sententia est. Cuius sententiae auctor extitit Joh. Georgius Graevius, qui cum primus accuratius pro temporum illorum ratione codicem illum consuluisset, in praefatione ad Orationes Tullianas haec monuit:

„Habes hic orationes Tullianas. Prima mihi cura fuit, ut emendatissime prodirent. Propterea manu scriptos codices pervetustos et bonae notae consului et magno studio adhibui. Omnium optimus fuit Erfurtensis, quem saepe videre desideravit Gruterus. Eius usum mihi praestiterunt vir amplissimus, Fridericus Benedictus Carpzovius, Senator reip. Lipsiensis et decus suae patriae unicum, quem dum haec scribo, acerba fata nobis eripuisse intelligo, et vir celeberrimus Joannes Tenzelius, Serenissimorum Ducum Saxoniae Domus Gothanae Historicus, multis scriptis eruditis, quae per ora virum volant, illustris. Is liber plurimas orationes Tullianas complectebatur, non omnes. Quae sit eius bonitas et praestantia, docebunt animadversiones nostrae, in quibus cognosces non paucas labes eius auctoritate me abstersisse, quae omnes editiones contaminabant: nonnunquam versus et verba sunt omissa, praeter illas maculas, quas ope huius codicis Petrus Suffridus, qui quoque illo fuit usus, et Janus Guilielmus schedularum et excerptorum Suffridi subsidio nixus, deleverant."

Quod cum esset Graevii de codice illo iudicium, profecto mira videri debet viri doctissimi negligentia, qua praestantissimum librum consultum esse nunc apparebit. Quae quidem negligentia tanta est, ut, nisi aliunde constaret, eundem esse codicem, quem Graevius Erfurtensem dixerit, atque eum, quem nos nunc

denuo contulimus, ex variis lectionibus, quas Graevius et ego ex eo enotavimus, facile diversos nos libros consuluisse existimari posset. Iam quo gravior est codicis illius apud homines doctos auctoritas, eo maiorem me gratiam apud eosdem initurum existimo, quod denuo diligentissime eum consului varietatemque lectionis, ex eo enotatam, totam typis excudendam curavi. Quo verius autem de pretio, quod codici illi statuendum sit, ab omnibus possit iudicari, necessario hic de forma eius et materia, de saeculo, cui assignandus videatur, de scriptis Ciceronis, quae contineat, atque in singulis illis qua sit auctoritate, exponendum videtur.

De forma, materia, et aetate codicis.

Codex est membranaceus in fol. maximo, binis columnis accuratissime exaratus, ita ut singulae quadragenos septenos versus vel lineas complectantur. Singuli tituli orationibus reliquisque Ciceronis scriptis, quae continet, praefixi litteris rubri coloris scripti sunt. Eodem colore prima quaeque littera verbi, quo novum scriptum inchoatur, depicta est. Non vacat correctionibus, quae nunc ab eadem manu, qua textus scriptus est, nunc ab recentiore sunt profectae, neque glossis, a prima plerumque manu additis.

Primo folio haec sunt ab manu aliquanto recentiore quam ea est, quae Ciceronis verba descripsit, exarata verba:

„*Istud Theloneum debet persolvi Ad Confluentiam. De Hoy venientes debent dare de unaquaque nave unum eneum caldarium. et ·II· baccinia. et ·II· denariatas vini. Et de Dinant similiter. Similiter de Nama. et omnes naves de Mosa venientes de his predictis locis. et de omnibus interiacentibus idem vectigal persolvunt. De Leodio vero venientes debent dare pellem arietis ad coopertorium sellae. quod dicitur Huldefeld. et ·I· caseum. et ·II· denar̄ vini. De Antverfa similiter. De Bomolo debent dare ·I· caseum. et duas denariatas vini. De Herevverde debent dare ·I· bonum salmonem. De Thiele et de omnibus locis compertinentibus venientes debent dare de unaquaque nave ·I· bonum salmonem pro honore. et ·II· den̄ vini. De Traiecto venientes. de Pascha usque in autumpnum. debent dare ·I· bonum salmo-*

nem. Inde usque in Pascha ·C·XX· allecia pro honore. et ·II· den vini. De Davandria venientes ab intrante ·XI· usque in Pascha debent dare de singulis navibus ·C·XX· allecia. Inde usque ad festum .s. Crucis in autumpno ·XX· angiullas. et ·II· den vini. De diusburhc venientes. debent dare tabulam cere. et den vini. De Colonia autem venientes debent dare ·IIII· denarios. et ·I· den vini. in autumpno. insuper de singulis navibus ·I· tabulam cerae. et ·I· den vini. De Binga. de Loroscha. De Wormatia et de Spira similiter. Venientes de Strazburch debent dare ·VI· denarios. et ·II· den vini. De Radisbona. et de Werzeburch similiter. De Constantia venientes debent dare. unum siclum. Similiter de Zurich. Venientes de Treveri. debent dare ·IIII· den. et ·II· den vini. De Meti venientes. debent ·VIII· denarios. et ·II· den vini. De Tullio similiter. Judei pro unoquoque sclavo empticio debent ·IIII· denarios. Similiter de scumario. Venditores gladiorum. decimum gladium. Pro uno accipitre venali ·IIII· denarios.“

Altera pagina eiusdem folii ornata est figuris, atramento depictis.

Constitit olim codex foliis 298, quorum tamen 95 seculo decimo sexto, vel quinto iam perierunt. Certum est enim resecta esse folia illa, antequam singula codicis folia denuo sunt conglutinata, quod si non XV. at certe XVI. est seculo ineunte factum. Caeterum qui denuo codicem conglutinavit, in componendis foliis extremis, quae libros aliquot epistolarum ad Diversos continent, negligenter versatus est, quod folia plurima non ordine suo disposuit.

Codicem autem non esse amplius integrum iacturamque 95 foliorum fecisse, tum ex lacunis, quas habet, foliorumque fragmentis, quae passim reperiuntur, tum ex eo intelligitur, quod homo quidam doctus aversae paginae folii, quod agglutinatum est ligno, quo codex compactus est, foliis 298 eum constare adscripsit. Ab eodem homine, cuius manus seculum decimum quintum prodit, eadem in pagina Ciceronis scripta, quae codex, cum integer esset, continuit, hoc modo sunt indicata:

De officiis tres.
De oratore.
Rhetoricorum duo.
Topica.
Controversia Sallustii in Ciceronem.
Controversia Ciceronis in Sallustium.
Invectivarum in Cat. libri IV.
Pro M. Marcello.
Q. Ligario.
Rege Deiotaro
in Vatinium
pridie quam iret in ex.
ad senatum post reditum
ad Quirites post reditum
in Clodium
pro Sextio aput iudices
de prov. consularibus.
De responsis arusp.
pro Cornelio Balbo
Coelio
Aulo Archita
in Pisonem
De imperio Pompei
pro Aulo Cecina
pro Publio Sulla
pro Plancio
pro Milone
de lege agraria libri tres
in Verrem
Epist. libri tres
De senectute
De amicicia.

De quibus quae etiamnunc in codice scripta extent, priusquam exponam, de aetate eius pauca sunt monenda. Atque si vera esset hominum doctorum sententia, qui codices illos, in quibus orationes, quae a Poggio seculo XV. primum dicuntur in lucem protractae esse, contineantur, ante seculum XV. scriptos esse posse negant: certum foret, codicem Erfurtensem, qui quasdam illarum orationum servaverit, seculo XV. esse exaratum. Atqui minime ista omnino vera est sententia. Nam quae dicuntur a Poggio illo Florentino in Galliae Germaniaeque bibliothecis repertae esse orationes, eae ad id usque tempus Italos tantum latuisse existimandae sunt, ad quos per illum ex civitatibus istis sunt translatae. Hoc ita esse, patet vel ex iis, quae librarius in Codice Laurentiano VII. plut. XLVIII., referente Bandinio in Catal. Codd. Latt. Bibl. Laur. T. II. p. 431 sqq., ad illas adscripsit orationes, quae e Poggiano exemplari erant descriptae. Is enim post Orationem pro Caecina haec adnotavit:

„*Hanc orationem antea culpa temporum deperditam Poggius Latinis viris restituit, et in Italiam reduxit, quum eam diligentia sua, in Gallia reclusam in Silvis Lingonum adinvenisset, conscripsissetque ad Tullii memoriam et doctorum hominum utilitatem.*“

Idem post Pisonianam orationem haec adscripsit: „*Has septem* (*atqui*, Bandinius obiicit, *nonnisi quinque praecesserunt, pro Caecina una, de lege agraria tres, in Pisonem denique una*) *M. Tullii Orationes, quae antea culpa temporum apud Italos deperditae erant, Poggius Florentinus, perquisitis plurimis Galliae, Germaniaeque summo cum studio ac diligentia bibliothecis, quum latentes comperisset in squalore et sordibus, in lucem solus extulit, ac in pristinam dignitatem decoremque restituens Latinis Musis dicavit.*“

Itaque in Gallia Germaniaque nihil impedit, quominus eodem tempore, quo Poggius aliquot orationes, quae latuerant Italos, reperit, alios extitisse codices eiusdem argumenti statuamus, quorum copia Poggio non sit facta. Quid, quod in bibliotheca Laurentiana item codices videntur servari, seculo XIII. et XIV. scripti, in quibus sunt etiam orationes, quae seculo XV. ante Poggii inventum prorsus in Italia credebantur desiderari? Ita certe Bandinius p. 453. Codicem XXV. plut. XLVIII., qui inter alias orationes etiam eam, quae pro A. Caecina habita est, continet, seculo XIII. assignat. In qua re quamquam Amedeus Peyron in M. Tulli Cic. Oratt. pro Scauro etc. fragm. ined. p. 259. aperte errare Bandinium contendit ob eam ipsam causam, quod codex ille aliquot ex Poggianis orationibus ipsamque orationem pro Caecina habeat; tamen nescio, an verior Bandinii sententia sit, qui optime de codicum aetate iudicare didicisset. Idem vir eruditissimus eiusdem plut. codicem XXVI. p. 455., qui idem orationem Caecinianam continet, seculo XIV. scriptum esse dicit.

Sed quicquid de codicibus illis Laurentianis statuatur, hoc certum est, eo, quod liber Erfurtensis orationes illas, a Poggio in Italiam translatas, contineat, minime effici, ut seculo XV. demum scriptus putetur. Quin adeo non scriptum esse seculo illo, inde fit probabile, quod libros de Oratore iisdem fere lacunis servavit, quibus corrupti reperiuntur libri omnes, qui ante seculum XV. sunt exarati. Constat enim, seculo demum XV. ineunte ab Gerardo Landriano, episcopo Laudense, pervetustum Laudae repertum esse codicem, in quo solo libri de Oratore tres aliaque scripta integra erant servata, cum, qui

praeter illum codicem continebant libros istos, ad unum omnes essent lacunosi.

Itaque tantum mihi videor confirmare posse, codicem Erfurtensem certe non serius quam seculo XIV. esse scriptum, id quod scribendi etiam genus, quod usurpatum in eo videmus, satis superque declarat. Quo vero tempore sit exaratus, aliis diiudicandum relinquo, qui plurium librorum manu scriptorum usu rectius quam ego de codicum aetate decernere didicerunt. Eorum gratia specimen scripturae eius lapidi imprimendum unaque cum varietate lectionum divulgandum curavi. Ex quo specimine simul interpungendi ratio, qua librarius per totum librum usus est, intelligi potest. Solum enim punctum, nunquam comma usurpavit, idque non infimae literae antecedentis sed mediae parti apposuit. Ubi nomen per compendium una indicatur littera, duobus utrinque punctis cingitur. Graeca verba sicubi describenda erant, librarius partim graecis partim latinis est litteris usus. Praeterea de orthographia, quae dicitur, codicis et de compendiis scribendi, quibus usus librarius est, haec mihi visa sunt monenda.

De orthographia et compendiis scribendi.

In enotandis lectionibus, quibus codex noster ab editione Ernestiana recedebat, sponte patet, inutile fuisse ea commemorare scribendi genera, quae constanter ab librario usurpata animadverteram. Eo pertinent *milliens*, *quotiens*, *totiens*, tribus exceptis locis in Orationibus de provinciis cons. et pro Archia poeta, ubi *toties* positum est; porro *cottidie* et *cottidianus*; *posttridie* pro *postridie*, *quicquam* et *quicquid* pro *quidquam* et *quidquid*. Porro verbo *iacere* cum praepositionibus iuncto semper unam tantum litteram *i* tribuit, ideoque *abicere*, *conicere*, *deicere*, *proicere* etc. scribit. Pronominis formas *ii* et *iis* nunquam vidi usurpatas, sed semper *hi* et *his*. Quod genus scribendi cum in plerisque codicibus antiquis esset usurpatum, factum est, ut etiamnunc saepissime [illegible]onis aliorumque scriptorum latinorum operibus posita sint, ubi pronominis *is* formae *ii* et [illegible]rio requiruntur.

Simile est, quod semper *idem* pro *iidem*, et *isdem* vel *hisdem* pro *iisdem* scribit.

Porro pro littera *t* in verbis quibusdam constanter *c* ponit, scribitque *sentencia*, *ocium*, *negocium*, *ociosus*, *vicium*, *tercius*. Litterae *m* et *t* quoties coniunguntur, *p* litteram interponit, unde *emptus*, *contemptus*, *promptus*, *sumptus* et alia, eodemque modo *sumpsi* et similia. Litteram *s* omittere solet, quoties *ex* praepositio praecedit. Hinc *extinguere* et *expectare* pro *exstinguere* et *exspectare*.

Denique singulare est, sed factum tamen ab aliis etiam librariis, quod verbi *amicus* comparativum constanter facit *amicicior*, nunquam *amicior*.

Quae hactenus commemoravi scribendi genera, eorum nullam fere in varietate lectionum factam mentionem videbis. Reliqua, in quibus non ubique ab editione Ern. discessit, diligenter a me sunt enotata. Quae quamquam minime opus est denuo lectorum oculis subiicere, tamen non inutile erit ex parte indicare, quod tum faciemus, cum de conditione et forma, qua singula Ciceronis scripta, quae continet codex, servata sint, agemus. Apparebit enim ex iis, librarium codicis Erfurtensis libris valde diversis ad describendum esse usum, neque ipsum quicquam suomet arbitrio in verbis Ciceronis mutasse, sed omnia diligentissime ita uti erant in libris, quibus utebatur, descripsisse.

Compendia scribendi, quae usurpavit, in universum eiusmodi sunt, ut legenti nihil obiiciant difficultatis. Sunt enim pauca admodum et certa, ita ut rarissime nescias, quid significare eis voluerit. Ambigua quae reperi haec sunt, quod *cōs* scribit pro *consule*, *consules*, et *consulibus*; porro *p R* tum pro *populus Romanus* tum pro *praetor*, atque ita quidem, ut ad omnes casus significandos eodem utatur compendio. Ita etiam *R p* omnibus indicandis casibus vocis *respublica* inservit. Quamobrem quotiescunque dubium videri poterat, quae fuerit Ciceronis scriptura, utrum verbi causa *praetor* an *populus Romanus* ab eo scriptum fuerit, casusque qui requireretur, ambiguum erat, ipsum quo librarius usus erat compendium adnotandum putavi. Monendum tamen, saepenumero voces illas ab librario integris esse litteris scriptas.

De scriptis, quae continet, eorumque pretio.

Cum supra quae continuerit, cum integer esset codex, scripta commemoraverimus, huius loci est, quae etiammunc contineat exponere. Sunt autem haec:

De Officus Lib. I. c. I. usque ad c. XXXII. §. 118. — Vide p. 1—6.

De Oratore Lib. I—III. — Sed nos contulimus tantum librum I. et initium II. Vide p. 6—16.

De Inventione Lib. I. c. I.—c. XXVII. §. 40. *et Lib. II. c. IX.* §. 29. *usque ad finem.* — Vide p. 16—26.

Rhetorica ad C. Herennium Lib. I—IV. — Sed nos contulimus tantum usque ad Lib. II. c. V. §. 8. Vide p. 26—29.

Ad C. Trebatium Topica usque ad c. XXVI. §. 99. — Vide p. 30—54.

Oratio in Catil. IV. c. I. §. 2. *usque ad finem.* — Vide p. 54—36.

Oratio pro M. Marcello. — Vide p. 36—38.

Oratio pro Q. Ligario. — Vide p. 38—40.

Oratio pro R. Deiotaro. — V. p. 40—43.

Oratio in Vatinium. — V. p. 43—46.

Oratio pridie quam in exilium iret. — V. p. 46—49.

Oratio post reditum in Senatu. — V. p. 49—52.

Oratio post reditum ad Quirites usque ad c. III. §. 6. — V. p. 52—53.

Oratio de provinciis consularibus. Pars prima primae paragraphi periit. — V. p. 55—57.

Oratio de Haruspicum Responsis. — V. p. 57—63.

Oratio pro L. Cornelio Balbo. — V. p. 63—70.

Oratio pro M. Coelio. V. p. 70—76.

Oratio pro Archia poeta. — V. p. 76—78.

Oratio in L. Pisonem. — V. p. 78—83.

Oratio pro lege Manilia. — V. p. 83—87.

Oratio pro A. Caecina usque ad c. XXXIV. §. 100. — V. p. 87—93.

Oratio pro P. Sulla a c. XXIX. §. 81. — V. p. 93—94.

Oratio pro Cn. Plancio. — V. p. 94—103.

Oratio pro T. Annio Milone. — V. p. 103—110.

Oratio I. de lege agraria. V. p. 110—112.

Oratio II. de lege agraria. — V. p. 112—119.

Oratio III. de lege agraria. — V. p. 120—121.

Oratio in Verrem Act. II. Lib. III. usque ad c. V. §. 12. *et Act. II. Lib. IV. usque ad c. LVI.* §. 124.

Sed plurima, quae leguntur in Act. II. Lib. IV., omissa sunt. — V. p. 121—125.
Epistolae ad Diversos. Lib. XII. ep. 29. *ultima pars, et ep.* 21.
— — *Lib. XIII. ep.* 78. 79.
— — *Lib. XIV. ep.* 1—24.
— — *Lib. XV. ep.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.
— — *Lib. XVI. ep.* 5. 7. 1. 2. 3. 4. 6. 8. 9. 11. 12. 10. 15. 14. 13. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. V. p. 125—137.
Epistola ad Octavianum. — V. p. 137—139.
Epistola Q. Ciceronis de petitione consulatus. V. p. 139—142.
Cato Maior. — V. p. 143—151.
Laelius. — V. p. 152—158.

In his omnibus scriptis cum minime eadem sit codicis Erfurtensis auctoritas et praestantia, non inutile erit, in singulis quod ei pretium statuendum sit, diligentius exponere. Multi sunt enim, qui Graevii de codice nostro iudicio decepti omnino gravissimam eius auctoritatem putent esse. Cui errori ut occurramus, de singulis scriptis deinceps ea expromemus, quibus, quo sint pretio, facile intelligi possit.

DE OFFICIIS LIB. I.

Magna diligentia hic liber descriptus est ita ut librariorum mendis et erroribus prorsus fere immunis sit. Optima etiam interpunctionis ratio est. Discedit tamen non raro verborum collocatione a vulgatis editionibus. Orthographiam quod attinet, monendum est, semper in hoc libro scriptum esse *haut*, nonnunquam *amministrare*, semel etiam *ammirari*. Idem scribendi genus in libris de amicitia et de senectute usurpatum est. Margini argumenta capitum sectionumque partim, ab eadem manu, quae verba Ciceronis descripsit, colore rubro, partim ab recentiore atramento sunt adscripta. Caeternm eiusmodi librum ab auctore codicis descriptum puto, qui Grammaticorum quibusdam interpretationibus depravatus erat. Unde profectum videtur C. III. §. 8. *officium* pro *καθῆκόν* et C. XVIII. §. 59. *beneficiis* pro *officiis*. Nihilominus etiamnunc nonnulli huius operis loci ope codicis nostri emendari poterunt. Legitur vulgo C. III. §. 7.

Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen id minus apparet, quia magis ad institutionem vitae communis spectare videntur.

In his verbis pro *id minus* codex *eminus id* habet, quod etsi nihili est, tamen eo nos ducit, ut Ciceronem putemus scripsisse: *tamen eo minus id appareat, quo magis* etc.

Corruptam etiam arbitror scripturam vulgatam C. XIX. §. 64., ubi nunc scribitur:

Ut enim apud Platonem est, omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi: sic ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium, vel potius solus esse.

In quo loco qui vitium in voce *morem* latere putaverunt, recte sunt ab Gernhardo refutati. Sed *omnis mos* quomodo recte dici potuerit, nec ipse docuit, nec doceri posse arbitror. Habet autem codex noster pro *est*, *omnem* sine interductu *cum omnem*. Particula *cum* quo magis aliena ab hoc loco est, eo minus a librariis profecta debet videri. Est autem *cum omnem* nil nisi consueta depravatio antiquae scripturae *communem*, quod verbum necessario hic requiritur. Sic codex noster in or. pro Balbo c. XI. §. 27. pro *quod commune est liberorum populorum*, habet *quod cum omnem liberorum populorum*. Praeterea vero etiam verba *communis* et *omnis* commutata reperiuntur. Caeterum utrum verbum *est* post *Platonem*, cum codice Erf. omittendum, an retinendum sit, aliis diiudicandum relinquo.

DE ORATORE.

In his libris indignum iudicavi codicem, quem totum cum editione Ern. conferrem, cum, quibus vulgaris textus emendari possit, lectiones nullas fere, plurima autem quavis pagina menda et corruptelas haberet. Praeterea eisdem fere depravatus est lacunis, quae in omnibus sunt codicibus, qui ante repertum codicem Laudensem sunt exarati. De quibus conferenda sunt quae exposuit Bandinius, vel potius Lagomarsinius apud Bandinium in Catal. Codd. Lat. Bibl. Laur. T. II. p. 493 et 496 *sqq*. Cum autem in omnibus ante repertum codicem illum Laudensem libris manu scriptis easdem esse lacunas Lagomarsinius con-

tenderit, monendum est, ex illorum numero quodammodo eximendum esse Codicem Erfurtensem, qui quamquam cum reliquis codicibus omittit quae nunc leguntur a §. 128. c. XXIIX. Lib. I. *rum actorum est* usque ad c. XXXIV. §. 157. eiusdem libri *Atque in ea exer*, quorum defectum librarius Erf. vacuo relicto spacio indicavit, tamen dissentit ab iis, quod, quae a §. 183. c. XLIII. Lib. I. *et legibus continentur* usque ad §. 19. c. V. Lib. II. *Tum Catulus, Ne Graeci quidem* leguntur et in codicibus omnibus antiquioribus desiderari Lagomarsinius dicit, non omnia omisit, sed ea tantum, quae a §. 193. c. XLIII. Lib. I. usque ad Lib. II. c. III. §. 13. v. 9. leguntur. Servavit igitur quae Lib. II. c. III. §. 15. *tenuius, ad disputandum elicere* usque ad initium c. V. §. 19. *Tum Catulus* etc. leguntur, ab reliquis illis omissa. Facit autem cum Erf. etiam codex Britannicus, littera *U* signatus, qui multis modis in his libris cum codice Erf. consentit.

Caeterum non inutile iudicavi, sectiones, quas plurimas in his libris habet codex, indicare omnes. Simul primam litteram verbi, in initio novae sectionis positi, semper rubro colore scriptam animadverti volo.

Cum valde corruptos de Oratore libros per codicem Erf. nobis servatos dixerim, sponte patet, non exspectandum esse, ut ad emendandos locos corruptos, qui etiamnum in opere illo offenduntur, aliquid auxilii afferat. Atque in paucissimis illis locis, ubi recte ab edit. Ern. discedere videtur, eandem, quam ipse praebet, scripturam alii etiam codices offerunt, ab editoribus neglecti. Ita Lib. I. c. 9. §. 36. nunc scriptum legitur:

Aut vero reliquas utilitates aut in constituendis, aut conservandis civitatibus non a sapientibus et fortibus viris, sed a disertis — esse constitutas?

Sed quantum ego observavi, semper Cicero in enuntiationibus disiunctivis bis ponere praepositionem consuevit. Itaque quoties duo sibi nomina per particulas *aut-aut, vel-vel, et-et, non solum-sed etiam, non minus-quam* aliasque opponuntur, ante utrumque praepositio ponitur. Cfr. pro lege Man. c. XXIV. §. 69. *aut de re, aut de perficiendi facultate.* pro Cluent. c. XI. §. 31. *et de suo et de uxoris interitu.* ibid. c. XXIII. §. 64. *aut ab Avito, aut ab Oppianico.* ibid. c. L. §. 139. *non ex mea opinione, sed ex hominum rumore.* ibid. c. LV. §. 152. *aut in homine ullo, aut*

in ordine. ibid. c. LXVI. §. 188. *nondum ad huiusce vitae periculum, sed ad commune familiae dedecus.* ibid. c. LXX. §. 198. *non minus de capite huius, quam de sua vita.* de leg. agr. or. II. c. III. §. 7. *et in hoc magistratu, et in omni vita.* ibid. c. XVIII. §. 48. *aut in oppidis, aut in agris.* ibid. c. XXXIII. §. 90. *et ad bellum instruendum, et ad exercitus ornandos.* pro C. Rabirio c. VIII. §. 24. *aut cum Saturnino, aut cum bonis.* or. in L. Cat. II. c. X. §. 21. *et ex urbe, et ex agris.* or. in L. Cat. III. c. II. §. 4. *non solum a me, sed etiam a senatu.*

Qui contra hanc meam sententiam facere loci videbuntur, in iis diligenter attendendum est, num codicum optimorum auctoritatem editores, qui in his rebus paulo negligentius versati sunt, ubique sint secuti. Restant autem non pauci, in quibus ex codd. auctoritate genuina scriptura restituenda sit. Ita pro Planc. c. 15. §. 36. etiamnunc scribitur: *Quod genus iudiciorum si est aequum ulla in re, nisi hac tributaria,* quamquam recentissimi editt. ex optimo cod. Bavarico, cui nunc Erf. vidimus assentiri, praepositionem *in* ante *hac* et poterant et debebant addere. In oratione pro Balbo. C. I. §. 4. scribitur nunc: *ut plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quam non modo ex mea, sed cuiusquam oratione capere possitis.* At codex Erfurtensis recte ante *cuiusquam* habet *ex*, quae praepositio necessario inserenda est. Nec dubium est, quin in hoc ex libro de oratore I, petito loco cum Erf. *aut in conservandis* scribendum sit, cum sex etiam Britannici libri praepositionem iterent. Quid, quod ibi etiam bis ponitur a Cicerone praepositio, ubi unum tantum, ad quod pertineat, substantivum positum est, duo autem, qui a substantivo pendent, genitivi adduntur, qui sibi disiunctivis particulis opponuntur. Tum si ante priorem genitivum posita praepositio est, iteratur etiam ante posteriorem. Cfr. in Pis. c. XVIII. *An ego maiore afficerer laetitia ex corporis vestri laceratione, quam afficior ex famae?* Itaque rectissime codex noster de Inv. II, 19, 127. habet *et ex utilitatis, et ex honestatis amplissimis partibus,* cum in editt. ante *honestatis* praepositio desideretur.

In aliis enunciationibus, ubi scriptor non positis illis particulis, quae sententiam disiunctivam continent, tamen duo nomina, quae a praepositione pendent, ita

vult accipi, ut non unum quid efficiant aut in unam quandam notionem coalescant, sed separata sint et utrumque per se spectetur, non minus Cicero his ponere praepositionem solet. Illustre eius rei exemplum est in Epp. ad Quint. Fr. III, 1, 4. *Orationes effagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi.* Quibus verbis cum hoc significet, se duas absolvisse orationes, quarum altera pro Scauro, pro Plancio altera sit habita, necessario bis erat praepositio ponenda. Quam si omisisset ante nomen *Plancii*, Scaurum et Plancium duos reos coniunctim pluribus orationibus ab eo defensos esse credi posset.

Consulto Ciceronianum hunc usum dixi, quandoquidem alios scriptores negligentiores in hac re deprehendi fuisse.

Sed revertendum est ad libros de Oratore, ex quorum primo unum lubet adhuc proferre locum, in quo memorabilem scripturam codex noster offert.

Libro igitur I. c. X. §. 44. pro verbis: *Quamobrem ista tanta tamque multa profitenda. Crasse, non censeo. Satis id est magnum, quod potes praestare, ut* etc. habet: *Quae ergo ista tanta, tamque multa profitendi causa est? Censeo satis id esse magnum, quod potest praestare, ut* etc. Sensum quidem utraque scriptura eundem praebet, sed inirum foret, unde tam diversae oriri potuerint scripturae, nisi Ciceronis scriptis compluribus obtigisse sciremus, ut cum a librariis stolidissimis descripta essent et inirum quantum corrupta, ab aliis doctioribus, qui depravata illa exemplaria denuo describebant, quae sensu videbantur destitui idoneo, mutarentur et corrigerentur. Eiusmodi exemplar hic illic correctum, sed nihilominus adhuc magnis affectum corruptelis auctorem codicis Erf. in his de Oratore libris usurpavisse credo.

DE INVENTIONE.

Longe praestantior in his de Inventione libris est. Immunis est innumeris vitiis illis, quibus de Oratore libri corrupti sunt. Scribit tamen non raro *quo*, quod alias compendium particulae *quoniam* est, pro *cum*, et *huius* atque *enim* pro *autem*. De utraque re diligentius infra exponemus. Orthographiam quod attinet, memorabilis fuit tantum scriptura *amministrare* et *ammitari*, qua nonnunquam usus est. Praeterea

multas habet glossas, ab eadem, ut videtur, manu scriptas, quae textum exaravit. Nec puto ab auctore codicis factas, sed ex alio libro una cum verbis Ciceronis descriptas esse. Eas cur omnes adnotaverim, infra explicabitur. Simul monendum est, saepenumero eis litteram *i.* praeponi, qua nil aliud nisi *id est* significari apertum est. Istud autem compendium cum praeterea nunquam in describendis Ciceronis verbis ab auctore codicis Erf. pro *id est* usurpatum invenerim nisi in paucis locis horum de Inventione librorum, diligenter adnotandum putavi, ubi eo compendio librarius usus est. Sunt enim verba illa, ante quae signum illud positum reperitur, eiusmodi, ut ab interpretibus potius quam a Cicerone profecta videantur. Omnino autem rhetorica haec Ciceronis scripta multos antiquissimis temporibus interpretes nacta sunt, a quibus quae explicandi causa Ciceronianis verbis apposita erant, haud raro a librariis in textum recepta nec dum a recentissimis editoribus reiecta sunt. Ita codicem etiam Erfurtensem ex exemplari descriptum puto, quod quibusdam interpolationibus depravatum erat. Reperitur autem compendium illud, quod ab iis potissimum, qui glossas scripserunt, usurpatum credo, his locis.

L. II. c. XXIII. §. 69. *Accusantur apud Amphictyonas, id est apud commune Graeciae concilium.*

Habet igitur pro *id est* compendium *i.* Unde probabilior etiam eorum redditur sententia, qui verba sequentia *apud commune Graeciae concilium* spuria iudicarunt, quae ego quoque a Cicerone scripta non puto. Eodem compendio usus est

L. II. c. XXXII. §. 99. *separare, id est, ostendere dissimile*, ubi recte iam Ernestius verba *id est ostendere dissimile* ab interprete addita intellexit.

Eiusmodi autem glossas, per *id est* antecedentibus adiunctas, etiamnunc plures in Ciceronis scriptis deprehendi puto. Ita nunquam mihi persuadebo, Ciceronem in epistola ad Paetum, quae vicesima quarta libri noni est, scripsisse, ut nunc editur: *quae* (remissio animorum) *maxime sermone efficitur familiari: qui est in conviviis dulcissimus, ut sapientius nostri, quam Graeci: illi συμπόσια, aut σύνδεινα, id est compotationes aut concoenationes, nos convivia, quod tum maxime simul vivitur.*

Mihi enim non minus ridendus Cicero videretur

si addidisset verba *id est compotationes aut concoenationes*, quam si quis nostratium in epistola ad amicum eruditum scripta verbo gallico usus eius interpretationem vernaculam adderet.

RHETORICA AD HERENNIUM.

Quam vidimus in libris de Oratore codicis nostri auctoritatem esse, eadem in hio est, qui ita depravati sunt, ut indignos iudicarim, quos totos conferrem. Neque enim singula tantum verba mire corrupta habet, sed omittit etiam, quae non debebant omitti, additque, quae a Grammaticis profecta sunt. Praeterea discedit ab editionibus eo, quod saepenumero argumenta rerum, quae tractantur, media in oratione sed litteris colore rubro scriptis indicata sunt. Quae videbis a me in Varietate lectionis commemorata. Denique illud iam in Varr. Lect. p. 29. monitum est, in codice nostro scripta rhetorica non in quatuor, sed in sex libros descripta reperiri.

AD C. TREBATIUM TOPICA.

In his quamquam maiori est pretio, quam in Rhetoricis ad Herennium, tamen minime vacat corruptelis, atque uti multa saepe perperam omittit, ita addit etiam, quae Ciceronis esse non possunt. Nonnunquam mire ab editione Ernestiana dissentit. Puto tamen quosdam ex eo locos esse emendandos.

ORATIONES.

IN L. CATILINAM IV.

Bonae notae est, ita ut etiamnunc quidam ex eo loci emendari possint. Hic illic alias superscriptas lectiones habet, quam quae in textu sunt positae. Earum quaedam veriores sunt, aliae interpretationes genuinae scripturae. Sunt etiam loci, in quibus interpolatus videtur.

Corrigendum ex eo puto c. III. §. 5. *postremo hesterna die*, quod melius ad aures cadit. quam quod nunc est scriptum, *postremo hesterno die*.

Porro rectissime scribit c. IV. §. 7. *Uterque et pro sui dignitate et pro rerum magnitudine in summa severitate versatur*, discedens ab editionibus eo, quod *sui* non *sua* habet. Poterant autem adeoque debebant editores recentiores hanc scripturam ex aliis iam recipere codicibus, Francicum dico et Britannicum.

In eadem §. *atque hoc genus poenae saepe in improbos cives in hac republica esse usurpatum recordatur* optime mea sententia post *improbos* addit *quosque.*

Ibidem: *Itaque eam sapientes numquam inviti, fortes etiam saepe libenter oppetiverunt.* unice probo, quod verba *fortes etiam saepe* alio ordine habet scribitque *fortes saepe etiam lubenter* etc.

Denique ibid. §. 8. *Adiungit gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit* haud dubie, secundum Erfurtensem, Britannicos aliosque pro *municipibus* scribendum est *municipiis.*

PRO M. MARCELLO.

Diligenter exarata haec oratio est, correcta hic illic a manu recentiore, quae nunc alias scripturas iis, quae a prima manu positae erant, superimposuit, nunc addenda monuit quae prima manus omisit. Ex iis, quae altera illa recentior manus inserenda Ciceronis orationi monuit, aperte spuria sunt verba *suni* et *Caesar*, quorum prius c. IV. §. 11. post *ceteras duce te gestas* addendum significavit, alterum c. V. §. 13. inter *reipublicae* et *conservavit* inseri iussit. Itaque illa etiam verba quae c. I. §. 2. post *vehementer angebar* vulgo sequuntur *cum viderem*, cum omissa ab auctore codicis sint et addita ab manu illa recentiore, non dubito quin interpreti debeantur.

PRO Q. LIGARIO.

Egregius in hac oratione est, maxime propterea, quod multis illis Grammaticorum vel interpretum additamentis, quibus cum libri plerique manu scripti, tum editiones ad unam omnes depravatae sunt, prorsus fere vacuus est. Itaque permulti ex eo emendandi loci sunt. Quod cum Graevius iam potuerit facere, neque tamen fecerit, non erit inutile, revera esse spuria, quae ille omiserit, demonstrare, quamquam, qui est omnium librariorum error, quaedam etiam ab eo negligentia omissa sunt. Optime autem accidit, quod illa ipsa, quae iniuria Ciceronis orationi inserta verba dico, manus secunda ubique fere in codice nostro superscripsit, idque ita plerumque fecit, ut non videatur inseri, sed explicationi inservire voluisse. Quae cum in aliis codicibus multis in textum recepta videamus, suspicari quis possit, illorum fontem nostrum

extitisse codicem. Verum aliunde cum demonstrari possit, codicem Erfurtensem non esse usurpatum ab librariis, qui codices illos exararunt, quod a me in Prolegomenis ad orationem Plancianam demonstrabitur, necessario statuendum est, istas ipsas glossas et additamenta, id quod iam in libris de Inventione factum vidimus, ex alio libro petita et descripta esse.

Iam primum ea hic ponimus verba a manu secunda superscripta, quae glossas esse nemo non sponte intelligit.

C. XII. §. 35. *Equidem cum tuis omnibus negotiis interessem, memoria teneo, qualis T. Ligariis quaestor urbanus fuerit erga te et dignitatem tuam.*

Super *qualis* habet *tuus*. Ineptum id esse, quivis sponte intelligit. Sed ne facit quidem ad interpretationem loci, ut mirum sit addi potuisse. Iam cum habeant aliquot Brit. libri post *qualis* particulam *tum*, iidemque libri ea saepissime in textu habeant, quae in cod. Erf. superscripta sunt, manum istam secundam, quae *tuus* addidit, in describenda glossa erravisse et pro *tum* male *tuus* scripsisse iudico. Particula enim *tum* adiici sane ab interpretibus potuit.

C. II. §. 6. *Nullum igitur habes, Caesar, adhuc in Q. Ligario signum alienae a te voluntatis.*

Hoc loco super *adhuc* scriptum *crimen*, id quod duo Britannici ς et ψ, in textu habent expulso verbo *signum*, super quo consentaneum est in alio codice *crimen* fuisse scriptum.

C. III. §. 6. *Quantum potero, voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat.*

Super *voce* positum *formidinem*.

C. V. §. 13. *Res enim eo spectat, ut ea poena, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini esse contenti.*

Super *eo* scriptum *sc. mortem*, quod in textum receperunt duo Britannici C et ς et Coloniensis et Dresdensis.

C. XI. §. 31. *Vidi — neque spectare te, quam tuus esset necessarius is, qui te oraret, sed quam illius, pro quo laboraret.*

Super *illius* habet *causa*, et *quam* ab eadem manu in *quae* mutatum. Receperunt additamentum illud Pall. aliquot, S. Victoris membranae, et sex Britannici C, H, S, T, ς et ψ. Non minus sporia collatis reliquorum codicum lectionibus haec esse apparebit.

C. II. §. 5. *An ille, si potuisset ullo modo evadere, Uticae, quam Romae, cum P. Accio, quam cum concordissimis fratribus, cum alienis esse, quam cum suis maluisset?*

Super *Uticae* habet *potius*, quod receptum nunc ab omnibus editoribus est. At omittunt Britannicus χ, porro Colon. et Dresdensis, neque agnoscunt, monente Grutero, Pall. pr., sec., tert., abfuitque etiam Puteani libro et Modianis. Addi potuisse, licet *malle* sequatur, non nego, cum plures sint loci tum a Patricio ad h. locum, tum a Gar. ad or. in Pis. c. VII. aliisque prolati, in quibus eodem modo verbo *malle* additum reperitur, optimorumque librorum auctoritate nititur, et, ut apud Plautum et Terentium, a metro flagitatur. Sed tot si consentiunt in omittendam particulam codices, quot hic videmus, oratioque adeo aequalior ea omissa fit, non dubito punctum temporis, quin ab interpretibus sit profecta.

C. X. §. 30. *Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppressus, in eo non acerbus, tum etiam totus animo et studio tuus.*

In quibus verbis quemadmodum Ernestio desiderari verbum *fuit* visum est, ita etiam antiquis interpretibus. Itaque in codice Erf. super *acerbus* positum est *fuit*, quod in textum post *acerbus* receptum in sex codd. Brit. C, H, T, ε, χ, ψ. Sed Pith. *fuit* ante *totus* habet, ex qua varietate collocationis satis superque apparet, ab aliena manu *fuit* esse additum. Caeterum locum corruptum etiam sic esse, infra videbimus.

C. IX. §. 27. *Ut enim cetera paria Tuberoni cum Vario fuissent; honos, nobilitas, splendor, ingenium, quae nequaquam fuerunt: hoc certe praecipuum Tuberonis fuit, quod etc.*

Verbum *fuit* omittit, sed habet supercriptum. Omittit etiam Col., et sine dubio alii quoque, quamquam tacent editores. Itaque cum salvo sensu abesse possit, duorum illorum codd. auctoritate eiiciendum contendo.

C. XII. §. 37. *Fac igitur, quod de homine nobilissimo et clarissimo, M. Marcello, fecisti nuper in curia etc.*

Cum eodem illo Colon. omittit verba *M. Marcello*. Sed margini adscripta ut inserenda ab manu recentiore haec verba *M. Marcello restituto*. Atque haec tria verba in quinque Brit. C, H, T, ε, ψ recepta in textum sunt. At recte Graevius a Coloniensi, cui Erf.

debebat addi, omitti iam monuit. Omnino autem quoties ab interpretibus nomina propria, quae non sine causa omisit Cicero, addita sint in orationibus, dici vix potest. Exempla proferemus, cum de oratione in Pis. agemus.

Tres in hac oratione loci restant, ubi codicis Erf. auctoritate bis nomen *Ligarii*, semel *Tuberonis* eiiciendum est.

C. III. §. 9. *Sed hoc quaero, quis putet esse crimen, fuisse in Africa Ligarium?*

C. V. §. 16. *Cave, Caesar, credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te.*

C. VIII. §. 23. *Sed quoquo modo illud se habet, haec querela vestra, Tubero, quid valet?*

In primo et secundo loco codex Erf., in quo omissum nomen *Ligarii*, sed superscriptum a manu secunda, secum habet consentientem Coloniensem, et sine dubio alios etiam, licet taceant editores. Neque erit quisquam, quin nexu considerato nomen aptissime abesse intelligat.

In tertio loco quamquam nullus praeter Erfurtensem codex nomen *Tuberonis* omittere perhibetur, tamen et alios omittere idque recte facere persuasum habeo.

C. III. §. 8. *Vide, quaeso, Tubero, ut qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri.*

Verbum *dicere*, quod ad sensum plane inutile est, quis dubitet ab aliena manu additum esse, cum non tantum in nostro codice, in quo superscriptum est, in Colon. et, monente Grutero, in Pal. nonnullis, sed etiam apud Quintilianum, qui Inst. Or. L. V. 10, 93. hunc locum affert, omittatur?

Hic autem cum omissio verbi gravissima Quintiliani auctoritate probetur, eo minus in reliquis locis dubitari poterit, quin quae desint in codice nostro et salva sententia abesse possint, omnino spuria sint censenda.

C. XI. §. 31. *Sed video tamen, apud te causas, ut dixi, rogantium valere plus, quam preces.*

Omittit hic verbum *rogantium* cum Coloniensi. Sed in codice Erf. superscriptum super *te*. Quod quemadmodum cur additum sit, in promtu est videre, ita quin delendum sit, non debet dubitari. Additum est, quoniam in antecedentibus scriptum: *Vidi enim* —

causas apud te rogantium graviores esse, quam vultus.

C. XII. §. 35. *Sed parum est, me hoc meminisse: spero etiam te — te aliquid de huius illo quaestorio officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam quaestoribus reminiscentem recordari.*

Sic hic locus in omnibus editionibus scriptus reperitur, neque a quoquam interpretum de mendo, quo affectus sit, monitum est. Atqui verba *reminiscentem recordari* tam ineptum pleonasmum continent, ut non tantum Ciceroni, sed ne Grammatico quidem, si quis haec inserta contenderet, ullo pacto attribui possit. Praeterea si iunguntur haec duo verba, totius loci sensus evertitur, quod quae primaria debet esse enunciatio, interiectionis tantum vim habet. Sensus enim necessario hic est: *non ego tantum T. Ligarii quaestoris in te studia et officia memoria teneo, sed te etiam memorem eorum puto, maxime si, quid alii quaestores fecerint, qui obesse tibi quam prodesse maluerint, recorderis.* Dicit igitur, Caesarem recordaturum esse de T. Ligarii officio quaestorio, id est, benevolum ei propter officia fore, si meminerit, quales se alii quidam quaestores praestiterint. Ea autem sententia non inest huic loco, si verbum *recordari* coniungitur cum verbis *de aliis quibusdam quaestoribus.* Quo facto hoc dicit Cicero, Caesarem, si memor sit eorum, quae T. Ligarius praestiterit, officiorum, de aliis etiam quaestoribus recordaturum esse. Atqui hoc prorsus est alienum. Itaque ut, quam efflagitari sententiam diximus, verba praebeant, necessario post *reminiscentem* comma ponendum et *recordari* cum verbis *de huius illo quaestorio officio* iungendum est. Iam vero verba *cogitantem* et *recordari* copulantur, quae coniuncta non minus ineptum continent pleonasmum, quam *reminiscentem* et *recordari.* At eum codicis Erf. auctoritate, in quo *cogitantem* omissum et ab secunda manu tantum superscriptum est, tollere et possumus et vero etiam debemus electo, quod interpretibus debetur, verbo *cogitantem.* Omittitur hoc verbum etiam in Britannico χ.

C. XII. §. 37. *Nihil enim tam populare, quam bonitas.*

Particula *enim* omissa sed superscripta est. Omittunt etiam Colon. et Dresdensis, quorum auctoritatem eo magis sequendam puto, quo saepius particulam il-

lam, quae aptissime nostro loco abest, a librariis additam videmus. Ita §. 38. post *nihil* Britannici C et ψ inepte *enim* addunt.

C. XII. §. 38. *Quare cum utilius esse arbitrer, te ipsum, quam aut me, aut quemquam loqui tecum, finem iam faciam: tantum te admonebo, si illi absenti salutem dederis, praesentibus his omnibus te daturum.*

Primum hoc loco verbum *esse* codex noster omittit, a manu sec. margini ascriptum. In qua re licet reliquos codices non secum consentientes videatur habere, tamen approbationem eorum consequetur virorum, qui Ciceronem post verbum putandi et similia *esse* omittere solere meminerint.

Quod vero praeterea non habet verbum *dederis*, item a manu sec. margini ascriptum, id pauci ab interpretibus profectum concedent. Mihi tamen reputanti, omnia fere, quae a manu secunda addita sunt, Grammaticorum esse additamenta, non dubium videtur, quin hoc quoque verbum, quod orator salvo sensu omittere potuerit, iisdem debeatur. Idem iudico de pronomine *te*, quod ante *daturum* vulgo additur, sed tum a nostro codice, tum a Brit. χ omittitur.

C. IV. §. 11. *Num potest magis carere his omnibus, quam caret? Italia prohibetur, exulat. Non tu ergo hunc patria privare, qua caret, sed vita vis.*

Omittit cod. Erf. *privare*, a manu sec. superscriptum. Recte mea sententia. Multo enim gravior existit oratio eiecto verbo illo, cum nihil impediat, quominus ad verbum *vis* ex antecedentibus verbum *carere* suppleamus.

C. I. §. 1. *Sed quoniam diligentia inimici investigatum est, quod latebat, confitendum est* etc.

Graevius post *investigatum est* addidit *id*, quod pronomen ab interpretibus saepissime constat additum esse. Itaque nec hic dubito, quin hominibus istis debeatur, cum in Erf. a manu sec. superscriptum, ab reliquis plerisque libris omissum sit.

C. IX. §. 27. *In Macedoniam ad Cn. Pompeii castra venit, in eam ipsam causam, a qua erat reiectus cum iniuria.*

Omittit *cum*, a manu sec. superscriptum. Consentit Colonienſis, et recte.

Reliqui quatuor loci, in quibus superscripta reperiuntur, quae aliis in codicibus Ciceronis verbis in-

certa sunt, ita sunt comparati, ut utrum oratoris sit quod superscriptum est an interpretis, non ausim diiudicare.

C. I. §. 2. *Itaque Q. Ligarius* etc. *Q.* superscriptum.

C. V. §. 15. *Quam multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent, cum etiam de victis reperiantur? quam multi, qui, cum a te ignosci nemini vellent, impedirent clementiam tuam* etc. Superscriptum *qui* ante *cum a te.*

C. IX. §. 26. *Sed vide, quaeso, C. Caesar, constantiam ornatissimi viri, L. Tuberonis.* Superscriptum *viri L.* quod equidem, si alii omittant codices, non dubitem eiicere.

C. X. §. 29. *Quicquid dixi, ad unam summam referri volo vel humanitatis, vel clementiae, vel misericordiae tuae.*

Pronomen *tuae* superscriptum. Omittit tamen etiam Brit. *S.*

Oculorum autem aberratione omissa, quae leguntur C. IV. §. 12. *quisquam — invitabat.* et C. VI. §. 18. *Cn. Pompeio mortuo, liceat.* Eorum priora tantum a manu sec. margini adscripta sunt.

Hactenus de iis dictum locis est, in quibus, quae omiserat auctor codicis Erf., ab secunda manu superscripta sunt. Nunc eos commemorare placet, in quibus quae librarius Erf. non habet verba, a manu etiam secunda non sunt superscripta. Eorum etsi quaedam, quae ad sententiae integritatem necessaria sint, iniuria omissa esse patet, plurima tamen rectissime desunt, utpote merae Grammaticorum interpolationes. Pauca tantum in dubium vocari potest, utrum iure an iniuria sint omissa.

Errore omissa sunt C. II. §. 6. v. 3. ed. Ern. *cum* ante *prodo*, C. V. §. 15. v. 2. *per te*, C. XI. §. 31. v. 9. *ita* ante *multa*, et C. XII. §. 35. v. 6. *nisi* ante *iniurias.*

Ambiguum iudicium de his locis est.

C. I. §. 1. v. 10. *C.* ante *Pansa* cum Dresd. et Brit. *H* omittit.

C. II. §. 4. v. 4. omittit solus *est* ante *egressus.*

C. II. §. 5. v. 4. om. solus *illinc.*

C. IV. §. 11. 1. om. cum Colon., H, et χ *eum* ante *sed.*

C. V. §. 13. v. 7. om. solus *est* ante *durius.*

C. V. §. 14. v. 8. om. cum Col., Dresd., et Brit. *H* praenomen *C.* ante *Caesar.*

C. VI. §. 18. v. 6. solus om. *aliis* post *multis.*

C. VI. §. 18. v. 8. cum Col. om. *ille* ante *invictus.*

C. VI. §. 19. v. 12. om. cum Dresd., Colon., et Brit. *χ certe* ante *ea.*

C. VIII. §. 24. v. 10. om. cum aliquot Lambini, aliquot Gruteri, et cum aliquot Graevii codicibus *ut perhibetis.*

C. XI. §. 31. v. 9. om. cum Dresd. *tu* post *tribuis.* Omittunt quidem etiam alii, ut Pithoean., C, T, ε, χ, et ψ, sed illi *tribuisti* scribunt, quae vera fortassis scriptura est omisso *tu* pronomine.

In his locis omnibus cum abesse salva sententia possint, quae nunc solus, nunc aliis cum libris Erf. codex omittit, in eam inclino sententiam, ut aliorum eorumque optimae notae librorum auctoritas si accedat, omittenda censeam.

Recte omittit, utpote ab interpretibus antiquis addita, haec.

C. I. §. 2. *Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum, sed tamen confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum.*

Omittit nomen *Tubero* ante *qua* cum Dresd., Colon., H, S, et χ. Quod cum modo praecesserit, non solum non necessarium, sed etiam incommodum est.

C. IV. §. 11. *Nam quid aliud agis? ut Romae ne sit? ut domo careat? ne — vivat?*

Omittit cum Pithoean., H, S, et ε *ut* ante *Romae.*

C. V. §. 12. *Novi enim te, novi patrem, novi domum nomenque vestrum. Studia denique generis ac familiae vestrae, humanitatis, doctrinae plurimarum artium atque optimarum nota sunt mihi omnia.*

Omittit cum duobus Lambini, Colon., H, et χ, *denique.* Omittit etiam Dresd., qui cum habeat pro eo *novi deinde*, interpretum hic manum interpolatricem Ciceronem expertum esse indicat.

C. V. §. 13. *Quod nos domi petimus, precibus et lacrimis, strati ad pedes, non tam nostrae causae fidentes, quam huius humanitati, id ne impetremus, pugnabis?*

Omittit copulam *et* ante *lacrimis* cum H. Itaque Graevius iam delevit, graviorem ita orationem reddi intelligens. Is quamquam in nota ad h. locum a solo

cod. Erf. omitti monuit, tamen in Varr. Lect. omnino in Mss. deesse perhibet.

C. V. §. 16. *Si honesto et misericordi mendacio saluti civis calamitosi consultum esse vellemus.*

Sic edidit Ernestius. At cod. Erf. cum Memm. et Cler. aliisque Lambini, cum Col., Dresd., Egmont., et omnibus Britannicis omittit *consultum*, scribitque cum iisdem excepto Brit. T. *civi calamitoso*. Debebat igitur Ernestius sequi Graevium, qui recte edidit: *saluti civi calamitoso esse vellemus.* — Haec cum scripsissem, incidi forte in Arusiani Messi *Exempla Elocutionum* Frontonis nomine ab A. Maio edita, in quibus p. 379. ad elocutionem *Futurus exitio ille illi* affertur hic ipse locus ita: *saluti civi calamitoso esse vellemus.* Cuius Grammatici testimonio egregie nostrum confirmari iudicium patet.

C. VIII. §. 25. *Quae est ergo haec apud Caesarem querela, cum eum accusatis* etc.

Pronomen *haec* cod. Erf. cum optimis quibusque libris omittit. Nam qui habere ab editoribus referuntur, Pithoean., Dresd., Colon., Egmont., et ex Britannicis C, H, T, ς, et ψ, omnes fere interpolationibus aucti sunt. Accedit, quod illi ipsi libri in collocatione pronominis dissentiunt, quae res interpolationis suspicionem maxime movet. Nam Brit. libri et Dresd. habent *haec ergo*, Pith. *ergo haec*, Colon., Egmont. et margo Herwagianae, omittunt adeo *ergo*, quod puto recepta in textum glossa *haec* expulsum esse.

C. IX. §. 26. *Quotus enim quisque fecisset, ut, a quibus in dissensione civili non esset receptus, essetque etiam cum crudelitate reiectus, ad eos ipsos rediret?*

Bene iam Patricius pro *essetque* potius *esset vero* exspectari monuit, cum augeat orator id, quod modo dixerit. Eandem tamen vim, quam additum *vero* haberet, restituimus orationi omissa *que* copula, quam non agnoscit codex Erfurtensis. In margine etiam ed. Lambin. ab al. cod. *que* omitti adnotatum est. Caeterum Graevius falsa dixit, *etiam* in cod. Erf. desiderari monens. Omnino saepissime cum alibi, tum vero imprimis in notis ad hanc orationem codici nostro scripturae attribuuntur, quas minime habet.

Sequuntur post illa, quae modo apposuimus, Ciceronis verba haec: *Magni cuiusdam animi, atque eius viri esset, quem de suscepta causa, propositaque*

sententia nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum posset depellere. Sic contra libros et contra sensum loci scripsit Ernestius, quem vulgaris lectio *posset* impulit, ut pro *est*, quod in plerisque edit. post *viri* additur, *esset* scriberet, quod nullius codicis auctoritate firmatur. Quanto melius erat, plurium librorum scripturam, qui *possit* praebent, Erf. dico, Dresd., Colon., C, χ, et ψ, recipere, quo facto non opus erat ut *est* in *esset*, quod sensui loci etiam adversatur, commutaretur. Verbum *est* autem cum Erf., Colon., et Pith. sine dubitatione eiiciendum.

C. X. §. 29. *Itaque num tibi videor, Caesar, in causa Ligarii esse occupatus? — Causas, Caesar, egi multas etc.*

Quod sua sponte quivis intelliget, molestum bis positum nomen *Caesaris* esse, alterutrumque delendum id suadent etiam libri plurimi Erf., Pith., Dresd., Colon., C, H, S, T, χ, et ψ, qui post *videor* Caesaris nomen omittunt.

C. XII. §. 36. *Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud, nisi ut tu eum studiosum tui, et bonum virum iudicares.*

Ita Ernestius sine codd. auctoritate scripsit, quamquam cum Graevio se dicit *tui* e Ms. Colon. addidisse. Nam librum Colon. disertis verbis Graevius in nota ad h. locum refert ita habere: *nisi ut eum tuis studiosum et bonum* etc. Hinc Graevius, magis quam Ernestius librorum auctoritatem servans, scripsit: *nisi ut tu eum tui studiosum*, quod sane tam aspere ad apres cadit, ut Ciceronem ita scripsisse minime sit probabile. Mirum est, editores genuinam manum hic nondum restituisse, quae qualis fuerit, non est difficile dictu. Habent libri omnes: *nisi ut tu eum studiosum ei*, praeter Colon. et librum quendam Cratandri, a Fabricio commemoratum, quorum posterior pro *tu eum* habet *eum tui*, prior *eum tuis*. Iam vero nominativus pronominis *tu* optime et salva sententia potest abesse, genitivus *tui* ad sententiae integritatem necessarius est. Quid igitur probabilius, quam scripsisse Ciceronem: *nisi ut tui studiosum et bonum virum iudicares?* Quae scriptura quemadmodum sententiae loci aptissima est, ita etiam ad codicum lectiones proxime accedit. Nam pronomen *eum*, quod eiecimus, vel propterea suspectum est, quod alii codices alio loco collocatum habent. Quemcumque autem

ei locum tribueris, numerum orationis everteris. Errare Ernestium, qui pronomen istud per consuetudinem latinam posse abesse negat, non opus ut exemplis doceam.

C. IV. §. 11. *Non habet eam vim ista accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Hoc egit civis Romanus ante te nemo. Externi isti sunt mores. Usque ad sanguinem incitari solet odium, aut levium Graecorum, aut immanium barbarorum.*

Sic Graevius, Ernestius, et reliqui editores recentiores scripserunt. Quae scriptura quo minus aptum praebet sensum, singulis membris nullo sociatis vinculo, eo magis ad codicum auctoritatem redeundum est, qui longe aliter scripsisse Ciceronem ostendunt quam nunc est scriptum. Ac primum quidem verbum *sunt* ante *mores* omittunt Erfurtensis, libri Lambini, uno excepto, ex Britannicis H, S, ς, et χ, et aliquot Gruteri. Non enim diligenter codicum suorum lectiones memoravit. Quos habere diserte adnotatum est, Dresd., Colon., et Britt. C, T, et ψ, eos tum hoc ipso loco tum alibi glossis inter Ciceronis verba locum dedisse cognosci potest. Nam C, T, et ψ verbis statim sequentibus: *Nam quid aliud agis?* haec addunt: C *quam ut occidatur*, T *nisi ut occidatur*, ψ *quam ut necetur*. Coloniensis autem, monente Graevio in Varr. Lectt., scribit: *Externi isti sunt mores, qui usque ad sanguinem* etc., Dresdensis eodem monente: *Sed externi isti sunt mores, qui usque ad sanguinem* etc. Uterque codex addunt igitur non solum *sunt*, sed etiam pronomen relativum *qui*, quod iam editores Grammaticis deberi intellexerunt. Iam hoc certum est, in praestantissimis libris *sunt* omitti. Porro pro *solet* omnes fere libri manu scripti, Erf., quatuor Lambini, omnes Gruteri, Colon., Dresd., omnesque Britannici excepto T habent *solent*. Denique non *odium* sed *odio* in optimis libris Erf., quatuor Lambinianis, aliquot Gruterianis, Colon., et in Brit. C scriptum extat.

Ex his variis lectionibus efficitur, antiquam fuisse hanc scripturam: *Externi isti mores usque ad sanguinem incitari solent odio aut levium Graecorum, aut immanium barbarorum.* Quam scripturam unice probavit Lambinus, qui ita explicavit:

„Externi isti mores, hoc est, non Romani, sed exterorum populorum, ut aut levium Graecorum, aut immanium barbarorum, solent odio aliquo suscepto, ac

penitus insito ad sanguinem petendum incitari. Haec est, meo quidem iudicio, horum verborum sententia, quae minus significanter exprimitur vulgata lectione. Praeterea non mores incitant odium, sed contra, odium mores incitare solet. Mores igitur Romanorum, qui graves sunt et humanitate expoliti, nullum quantumvis acerbum odium ad sanguinem inimici incitare solent: mores Graecorum vero, qui sunt leves, et mores barbarorum, qui sunt immanes, quodvis odium ad crudelitatem et caedem impellere solent."

Lambinus igitur, qui maximam partem verissime de sensu huius loci exposuit, verba *aut levium Gr., aut imm. barbarorum* ad nomen *mores* referenda iudicavit. Et sane hoc certum est, sive *odio* legamus sive *odium*, verba illa nullo pacto ex nomine proxime praecedente pendere statui posse. Nam utrovis modo ineptam reddunt sententiam. At non magis posse ad verbum *mores* referri, intellexisse omnes puto, qui Lambinum sequi dubitarunt. Nullam enim sententiae vim cum addant, inepta sunt extremo enuntiationis loco posita. Deinde cum pendeant ab antecedentibus, necesse est etiam, nulla interposita mora, statim post verbum *odio* pronuntientur. Ita autem necessario efficitur, ut a verbo *odio* putentur pendere, quod ineptum est. Itaque apertum est, verba illa isto in loco quo nunc sunt collocata orationem prorsus corrumpere. At ut sedem mutes, ponasque post verbum *mores*, nihil lucramur. Nam absurdior fit sententia arcte coniunctis verbis *externi mores Graecorum aut barbarorum*. Aut enim *externi* tantum *mores* dici debebant, aut omisso verbo *externi*, *Graecorum isti mores* etc. Haec omnia qui perpenderit, sine dubio assentietur mihi contendenti, verba ista *aut levium Graecorum*, *aut immanium barbarorum* ad explicationem nominis *externi* esse a Grammatico adscripta et a librariis in textum recepta. Scripsit igitur Cicero:

Externi isti mores usque ad sanguinem incitari solent odio. Nam quid aliud agis?

Caeterum non est mirandum, codicem etiam Erfurtensem omnesque omnino libros hoc loco glossam Ciceronianis verbis inseruisse, cum adhuc, quae spuria iudicavimus, in aliquot certe libris omitti viderimus. Nam neque Erf. librum, neque ullum omnino eorum, qui collati sunt, prorsus vacare interpolationibus, certissime potest demonstrari. Codicem tamen Erf. eo

praestare plerisque aliis iudico, quod, sicubi interpretationem Grammatici recepit, nihil praeterea in verbis Ciceronianis mutavit aut addidit, quo ea reliquae orationi accommodaretur. Quod ubi factum, ab editoribus nondum fraudem detectam esse, minime debet mirum videri.

Dedit autem glossis locum codex Erf. in his locis:

C. I. §. 2. *Habes igitur, Tubero, — confitentem reum, sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, qua virum omni laude dignum, patrem tuum.*

Pro *ita*, quod recepit Ernestius, scribit *hoc* cum Colon., quod superscriptum a quopiam esse, vel ex varietate scripturae probabile fit. Nam Pith. habet *hunc*, Dresd. *hic*, et Brit. ς *haec ita*. Reliqui Britt. utrumque habent *hoc ita*. Idem pronomen *hoc* ab interprete etiam insertum puto C. III. §. 6. *quantum potero, voce contendam, ut populus hoc Romanus exaudiat.* Offendit iam pronominis collocatio, verbis *populus Romanus* male a se invicem distractis. Cui quidem incommodo mederi possemus, si codicis Erf. sequeremur auctoritatem, qui *hoc* ante *populus* ponit. Sed ea ipsa varia collocatio, et diversa scriptura, Coloniense *hic*, et Brit. C. *haec* scribentibus, facit, ut interpreti deberi persuasum habeam.

C. VIII. §. 24. *Sed iam hoc totum omitto: non tam, ut ne offendam* etc.

Scribit Erf. cum aliis *non tam propter id, ne* etc.

C. IX. §. 26. post *a quibus* addit *partibus*, quod verbum recte ab recentioribus editoribus reiectum est.

Omitto de aliis dicere locis, in quibus sua sponte quisque interpolationes agnoscat. Placet unum adhuc commemorare locum, in quo, licet genuinam scripturam non praebeat codex noster, tamen proxime ad eam accedit.

C. V. §. 16. *Sed tamen aliud est errare Caesarem nolle, aliud nolle misereri. Tum diceres: Caesar, cave, credas: fuit in Africa: tulit arma contra te.*

Ineptam particulam *tum* esse, mirum est non intellexisse Ernestium, qui, cum antea *tu* in editionibus scriptum esset, hanc ipsam revocavit. Nolo tamen in *tu* mutari, cum Erf., Pith., et Britt. C, ς, χ, et ψ *tunc*, alii *tum* praebeant. Sed debebant editores ex scriptura *tunc* elicere, quod saepissime modo in *tum* modo in *tunc* mutatum est. Scripsit Cicero *Tune diceres* etc.

PRO R. DEIOTARO.

Quod orationi pro Q. Ligario obtigisse vidimus, ut quae Grammatici ad explicationem eius passim adscripsissent, a librariis deinde in textum recepta necdum ab editoribus reiecta sint, idem huic pro R. Deiotaro orationi accidisse certum est. Atque ut plures istiusmodi glossas in oratione, quae pro Q. Ligario est habita, in codice Erfurtensi superscriptas cognovimus, quae in aliis codicibus verbis Ciceronianis insertae reperiuntur, ita etiam in oratione pro R. Deiotaro multa sunt ab librario Erfurtensi verba superscripta, quibus alii librarii inter ipsa Ciceronis verba locum dare non dubitarunt. Quod cum quivis intelligere possit, qui varietatem lectionis, ex codice Erf. enotatam, cum lectionibus, quas alii, Britannici maxime, codices praebent, comparare voluerit, non opus est ut ego exemplis illustrem. Sufficit monuisse, non levem codicis nostri ad emendandam hanc orationem auctoritatem esse.

IN VATINIUM.

In hac oratione etsi nihil varietatis codex noster praebuit, quod ad emendationem eius magnopere facere posset, tamen memorabilis est propter insignes quasdam corruptelas verborumque depravationes, quarum hic mentionem fecisse minime erit inutile. Scribit enim, si non semper, at certe saepissime pro *autem* absurdissime *huius*, ut C. IV. §. 10. v. 5. C. VIII. §. 20. v. 4. C. X. §. 25. v. 4. C. XVII. §. 40. v. 12. C. XVII. §. 41. v. 21.

pro *hoc—huius* ut C. III. §. 9. v. 6. C. V. §. 11. v. 4. C. VI. §. 15. v. 18. C. VIII. §. 20. v. 1. C. XVII. §. 40. v. 4.

pro *haec—huius* C. IV. §. 10. v. 15.

pro *hoc—haec* C. XVII. §. 41. v. 17.

pro *haec a—aut* C. XV. §. 36. v. 4.

Porro frequentissima est casuum nominis *consul* permutatio, ita ut rarissime is casus sit positus, quem loci sententia flagitat.

Sic C. II. §. 5. v. 7. pro *consuli* scriptum *consulibus*, C. V. §. 11. v. 12. pro *consulis—consulum*. Quin adeo C. II. §. 6. v. 6. pro *consulem* scribit *eos*, C. IX. §. 21. v. 12. pro *consul—quos*, et pro *Cosconius* ubique fere *consul conius*, coll. C. V. §. 12. v. 12. et C. VII. §. 16. v. 12.

Terminationem *us* nonnunquam omittit, scribitque inepte *cui* pro *cuius* I, 1, 3. et *ei* pro *eius* VI, 14, 11.

Pro littera *e* non raro *i* scribit, ut *anne* pro *anni* XIV, 55, 10. et *neque* pro *ne qui* XIV, 34, 15.

Pro *ecquosnam, ecquid, ecquisnam* habet *haec quosnam, haec quid*, et *haec quisnam.*

Mirum porro, quod pro *dis* scribit *quod* C. IX. §. 21. v. 8., ubi pro *dissensisti* habet *quod sensisti.*

Nihilominus ex antiquo exemplari hanc orationem descriptam esse, ex eo colligitur, quod scribit *arri* pro *Arrii*, *vatini* pro *Vatinii*, *gabini* pro *Gabinii*, *hostis* pro *hostes*, *iudici* pro *iudicii*, *partis* pro *partes*, *omnis* pro *omnes*, *milia* pro *millia* et alia.

Omnes illas nonnullasque alias corruptelas cum in septem, quae sequuntur, orationibus, *pridie quam ret in exilium, post reditum in Senatu, post reditum ad Quirites, de provinciis consularibus, de Haruspicum responsis, pro L. Corn. Balbo, et pro M. Coelio*, admissas reperiamus, deinde vero in oratione *pro Archia poeta*, quae Coelianam sequitur, ne vestigium quidem similium corruptelarum conspiciatur, mea sententia non potest dubitari, quin octo hae orationes in antiquo coniunctae fuerint exemplari, quo usus sit auctor codicis Erfurtensis, vel is, qui codicem exaravit, quem librarius Erf. descripsit. Antiquum autem illud exemplar, quo usum auctorem codicis Erfurtensis esse dixi, certo potest demonstrari primum eiusmodi fuisse scriptum compendiis, quae intellectu essent difficillima, deinde etiam, cum describeretur, ita fuisse comparatum, ut evanidae iam essent litterae ipsaque scribendi illa compendia. Iam qui descripsit, auctor codicis Erfurtensis, cum quid significarent compendia non satis intellexisset, ac tamen integra verba, quae compendiis indicari putabat, ponere quam compendia ipsa depingere maluisset, factum est, ut non raro eiusmodi scripserit verba, quae longe a genuina Ciceronis manu recederent. Omnino autem ex isto librariorum quorundam studio, pro compendiis, quae erant in libris, quos describebant, integra ponendi verba, gravissimas saepe corruptelas ortas et ad nostram usque aetatem nonnunquam propagatas iudico. Inde factum etiam est, ut saepe, qui ex uno eodemque fonte fluxerunt codices, mirum quantum a se dissentiant. Longe enim alia describebat is, qui compendiorum peritus erat, quam qui litterarum latinarum tantum scientiam

habebat. Ut revertar ad antiquum, a quo codicem Erfurtensem originem duxisse arbitror, exemplar, necesse est in eo ad indicandos omnes nominis *consul* casus compendium *cos* fuerit positum. Pro quo cum integrum verbum ponere vellet librarius Erf., neque tamen sententiam loci haberet perspectam, fieri non potuit, quin turpes committeret errores.

Porro in antiquo illo codice valde similes litteras *c* et *e* fuisse certum est. Hinc pro *consulem*, vel, ut erat in libro illo, pro *cos* scriptum in codice Erf. *eos*, ut vidimus in Vat. c. II. §. 6.

Contra in or. de Harusp. Resp. c. XXII. §. 46. v. 2. pro *eos* inepte scriptum est *consulem*.

Sed magis miretur quis permutationem nominum *autem* et *huius*, quae tam diversis constant litteris, ut vix confundi posse videantur.

Confusa autem ista nomina sunt per octo, quas nominavi, orationes, excepta inepta illa, quae dicitur a Cicerone habita pridie quam in exilium iret. Sed in tota illa orationcula nunquam particula *autem* usurpata est. Porro in septem illis orationibus confusa saepissime *hoc*, *haec* et *huius*. Nec minus mirum, quod in orationibus *post reditum in Senatu*, *post reditum ad Quirites*, *de prov. Consularibus*, *de Harusp. Resp.*, *pro Balbo*, *et pro Coelio* frequenter pro *autem* scriptum *enim*, et pro *enim* absurde *non* scriptum est.

Confusa igitur in his septem orationibus sunt *autem*, *huius*, *hoc*, *haec*, *enim* et *non*, ita quidem, ut plerumque pro *autem* aut *hoc*, aut *huius*, aut *haec*, aut *enim*, et pro *enim* nonnunquam *non* sit positum. Id quomodo fieri potuerit, dici non posset, nisi auctor codicis Erf. in postremis harum octo orationum ipsa illa compendia posuisset, quibus non potest dubitari, quin in antiquo illo exemplari nomina ista fuerint indicata. Fecisse autem id eum puto, postquam multorum locorum sensu esset admonitus, compendiis istis aliud quid quam quod opinatus erat indicari. Itaque ne absurda scriberet, ipsa illa, quae in libro, quem describebat, compendia erant, in postremis harum orationum retinuisse existimo.

Posuit autem semel in oratione de Harusp. Responsis C. XX. §. 43. v. 15. pro *autem*, quod sensus flagitat, *h'*, idemque fecit pro Balbo C. XIX. §. 41. v. 3., et pro Coelio C. I. §. 1. v. 15. Idem autem

illud compendium *h'* usurpavit etiam, ubi *hoc* requiritur, ut pro Balbo XIIX, 43, 1.

Porro *h'*, quo *huius* solet significari, posuit pro *autem* in oratione pro Coelio C. XXVI. §. 63. v. 15. et C. XXX. §. 72. v. 7.

Denique *'H'*, quod sollenniter pro *enim* solet usurpari, pro *autem* posuit in or. pro Coelio C. XXX. §. 73. v. 2.

Ex his intelligitur, in antiquo isto, quod auctor codicis Erf. descripsit, exemplari omnia illa nomina *autem*, *enim*, *non*, *hoc*, *haec* et *huius* talibus fuisse scripta compendiis, quae vix potuerint dignosci. Atque particulam *autem* equidem puto littera *a* fuisse indicatam, sed eiusmodi praeterea lineola superscripta aucta, ut nihil fere ab *h* littera differret. Hinc *autem* abiit in *huius* et in *hoc*, quorum prius hoc compendio *h'*, posterius hoc *h·* solet indicari. Abiit vero etiam in *enim*, quoniam haec particula a plerisque librariis per *H* solet indicari. Hinc factum, ut in oratione de Harusp. Responsis C. XXV. §. 55. v. 2. in codice nostro pro *haud* inepte *enim aut* scriptum exstet. Quoniam autem particula *enim* etiam hoc signo *'n'* nonnunquam solita est indicari, evenit, ut pro ea *non* poneretur, quam particulam littera *n* lineola superposita indicare librarii consueverunt.

Porro *us* terminatio in antiquo illo exemplari tam tenui necesse est lineola indicata fuerit, eaque ipsa iam ita deleta, ut describentis oculos paene effugeret. Saepissime enim, maxime in *eius* et *cuius* excidit, inepteque scriptum *ei* et *cui*. Sed alia etiam inde vitia orta. Ita enim in or. de Harusp. Resp. *illa queat* scriptum pro *illaqueatus*, et ibidem C. XVI. §. 35. v. 13. *puta mihi* pro *putamus*. Excidit autem terminatio ista maxime in orationibus de provinciis Cons., de Harusp. Responsis, et pro Balbo.

In oratione pro Coelio terminationem *lis* ex pluribus corruptelis cognoscimus hoc fere signo *l'*, quo alibi *vel* significatur, debuisse indicatam esse. Hinc C. XIV. §. 34. v. 11. pro *Vestalis* scriptum *vesta vel* et C. XXI. §. 52. v. 9. pro *liberalis* scriptum *libera vel*.

Incredibilior est confusio litterarum *dis* et *quod*. Confusa autem haec nomina sunt tum in or. in Vatin., tum in oratione de provinciis Cons., ubi pro *disserui*

scriptum *quod serui*, et pro *cupidissimos* C. XVIII. §. 43. v. 14. *cupi quod si mos.*

ANTEQUAM IRET IN EXILIUM.

In hac oratione codex Erfurtensis pessimae notae est.

POST REDITUM IN SENATU.

Non multo pretio in hac oratione est. Nam praeter illas, quae ad orat. in Vat. a nobis commemoratae sunt, corruptelas aliis etiam non paucis mendis scatet, quorum quaedam a manu recentiore correcta sunt. Sed sunt etiam, quae manus illa, quamquam sua ex alio videtur codice hausisse, in peius mutarit. Caeterum de auctore huius orationis, quem Ciceronem esse plerique nunc homines docti negant, alio tempore meam expromam sententiam.

POST REDITUM AD QUIRITES.

Cum initium tantum huius orationis usque ad C. III. §. 6. v. 17. in codice Erf. exstet, resectis foliis, quae reliquam orationem et initium sequentis continebant, non est quod de auctoritate eius dicatur.

DE PROVINCIIS CONSULARIBUS.

Multis depravatam corruptelis hanc orationem in codice Erf. exstare, iam in notis ad orationem in Vatinium monuimus.

DE HARUSPICUM RESPONSIS.

Pluribus etiam et gravioribus haec oratio scatet corruptelis, quam quae antecedit, ita ut omnes adnotare errores et menda librarii ineptum iudicarim. Vide quae dixi in not. ad or. in Vatinium.

PRO L. CORN. BALBO.

De huius etiam orationis corruptelis monitum in notis ad orationem Vatinianam. Videtur tamen in hac oratione plus habere auctoritatis, quam in antecedenti.

PRO M. COELIO.

Quamquam huic orationi communes sunt quaedam cum antecedente corruptelae, de quibus dictum ad orat. Vatinianam, tamen multo maiore in hac codex noster et auctoritate est et praestantia. Consentit nonnunquam cum palimpsesto Taurinensi. Quod quoties

fit, unice veram praebere scripturam videtur. Omittit autem passim plura verba iniuria.

PRO ARCHIA POETA.

Diligentissime haec oratio in codice Erf. scripta extat, ita ut librariorum mendis prorsus fere immunis sit. Nonnullae scripturae licet mendosae sint, tamen propius quam vulgatae ad genuinam auctoris manum accedunt. Ita C. X. §. 23. *Quare si res hae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur* pro *hae* scribit *esse*, quod quamquam absurdum est, ostendit tamen, in aliis codicibus *eae* fuisse scriptum. Id enim cum scriberetur ita eę, abiit in *esse*, quod scribitur *ee*. Pronomen autem *hic*, cuius vim et usum plerique editores videntur ignorasse, non minus ab hoc loco alienum, quam a C. XI. §. 27. orationis Plancianae. *Vicia mehercule Cn. Planci res hae, de quibus dixi, tegere potuerunt*, ubi recte Bavaricus et Erfurtensis *eae* praebent.

IN L. PISONEM.

Quamquam omnes Ciceronis orationes multis partim Rhetorum antiquissimorum partim Grammaticorum interpretationibus auctae sunt et corruptae, tamen aliae minus aliis etiamnunc interpolatae circumferuntur. Cuius rei causa non in eo est posita, quod recentioris aetatis viri docti in aliis orationibus magis quam in aliis ad eam rem animum converterint fraudemque detegere studuerint, sed quod, qui primi has orationes typis excudendas curarunt, in quibusdam imprimendis orationibus integrioribus usi sunt codicibus. Quae vero orationes ad eiusmodi codicum auctoritatem, qui plurimis foedati erant interpolationibus, a primis editoribus impressae sunt, eae minime liberatae eis sunt per insequentes editores, licet iis multo meliorum et minus interpolatorum codicum copia esset, quorum ope verba spuria facili negotio poterant eiici. Mira enim religione primarum editionum secuti sunt auctoritatem.

Illustri documento Graevius est, qui cum posset ex codicis Erfurtensis auctoritate Ciceronianas orationes multis in locis interpolationibus purgare, priorum editionum recensionem maluit retinere. Ita supra vidimus orationem Ligarianam multis vacuam glossis et interpretationibus Grammaticorum, quibus inter

Ciceroniana verba editores locum concesserunt, in codice Erfurtensi scriptam extare. Contra in hac in Pisonem oratione pluribus etiam quam alii, qui collati sunt, codices et vulgatae editiones, additamentis interpretum auctus reperitur. Ea quamquam adnotata sunt in varietate lectionum, tamen non erit inutile, hic denuo commemorare et cuncta sub unum lectorum adspectum ponere, quo magis intelligatur, cuius sint generis quae explicationis causa adscribere interpretes et recipere librarii sint soliti. Facilius etiam ita homines docti mihi assentientur, alia quaedam verba, quae omnes occuparunt codices et editiones spuria iudicanti. Nam ut facile est ea probare viris doctis insititia esse, quae nonnullis in codicibus omittuntur, ita difficillimum, eorundem consequi approbationem et consensum, si quis quae omnium nitantur codicum auctoritate eiicienda contendit. Sed hanc orationem cum contendimus in nullo codicum, qui collati adhuc sint, verbis insititiis prorsus vacuam esse servatam, peropportune accidit, quod sententiam nostram gravissimo Grammatici veteris testimonio, quod infra commemorabitur, possumus confirmare. Quae res efficiet, ut in aliis etiam orationibus sicubi spuria iudicaverimus, quae in omnibus scripta exstent codicibus, id eo minus habeat offensionis, quo antiquiores sunt libri manu scripti, per quos Pisoniana nobis servata oratio est, ita ut eos omnium minime interpolatos esse posse credibile sit. Duplex igitur omnino interpolationum genus est, quibus corruptae Ciceronis orationes sunt, alterum antiquius, quod per omnes deinceps codices propagatum est, recentius alterum, quo nonnulli tantum libri manu scripti aucti reperiuntur. Utroque genere corrupta etiamnunc oratio Pisoniana circumfertur.

Placet autem primum de iis exponere locis, quos ipsorum codicum aliquot auctoritate spurios esse evincere possumus, commemoratis antea glossis, quas Ciceronianis verbis insertas habet codex Erfurtensis, ab editoribus non receptas.

C. II. §. 4. *ut — reipublicae statum convulsuri viderentur* addit *esse* ante *convulsuri.*

C. II. §. 5. *Ego tela extremo mense consulatus mei — extorsi* post *mense* addit *decembri.*

C. III. §. 6. *Mihi hic vir — civicam coronam deberi a rep. dixit* ante *civicam* habet *de quercu.*

C. V. §. 11. *Pro Aurelio tribunali — delectus*

servorum habebatur ab eo, qui nihil sibi umquam nec facere, nec pati turpe duxit.

Post *eo* addit *clodio* et post *turpe, esse.* Hoc autem loco spurium esse *clodio* non sententia loci tantum docet, sed diserte etiam testatur Aseonius, adnotans ad hunc locum: *Profecto intelligitur, P. Clodium significari.*

C. VI. §. 12. *spem habere a tribuno plebis, si tua consilia cum illo coniunxisses* denuo post *plebis* addit *clodio antonio,* quamquam quid *antonius* hic sibi velit, non intelligo.

C. IX. §. 19. *neque ego cessissem — si mihi cum illo bustuario gladiatore — decertandum fuisset* ante *illo* addit *clodio.*

C. VII. §. 14. *nam relatio illa salutaris et diligens fuerat consulis: animadversio* etc. addit cum aliis codicibus inepte ante *consulis* adiectivum *bona.*

C. XI. §. 26. *cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras* post *meam* addit *domum.*

C. XXIX. §. 72. *Scripsisti enim, cedant arma togae* post *enim* addit *versus.*

Saepe etiam glossa, quae superscripta erat, genuinam vocem expulit. Eius exempla codex Erfurtensis haec praebet.

C. III. §. 6. *Mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet* pro *propter* habet *iuxta.* Revera autem *iuxta* glossam esse, patet ex Arusiano Messo, qui in Exemplis Elocut. ab A. Maio edit. p. 592. scribit: *Propter te, iuxta te, Cic. in Pisonem. Hic vir clarissimus, qui propter te sedet, Lucius Gellius.*

C. XV. §. 56. pro *diribitores* habet *distributores.* Hanc ipsam vero glossam cum nonnulli editores pro vera habuerint scriptura, omninoque verbi *diribendi* significatio prorsus latere videatur viros doctos, singulari excursu sub finem praefationis quid significet verbum illud exponam.

Progredimur ad eos locos, in quibus codicum quorundam auctoritate eiicienda sunt verba insititia, quae ab editoribus in textum sunt recepta.

C. I. §. 2. *Mihi ista licet de me vera cum gloria praedicare: omnes enim honores populus Romanus mihi ipsi, homini novo, detulit.*

Sic enim editores, etiam Orellius, scripserunt, qui si codicum scripturam, locique sententiam diligenter considerassent, genuinam Ciceronis manum corrupisse

se intellexissent. Pugnant enim secum verba *omnes honores* et *homini novo*. Constat hominem *novum* dici, qui primus e familia magistratum curulem, id est aedilitatem curulem gesserit, eaque re ius imaginis consecutus sit. Talis factus Cicero est, postquam aedilitas curulis ei erat demandata. Sed quaesturam cum administrabat, homo non *novus*, sed *ignobilis* erat. Itaque non potest dicere, sibi, homini novo, omnes delatos honores esse, cum eo tempore, quo quaestura et aedilitas curulis delatae sunt, nondum esset novus. Iam cum in nullo eorum codicum, qui diligenter collati sunt, verbum *novo* exstet, certissimum est, a Cicerone non esse profectum. Scribendum igitur necessario, quod iam Ursinus in vetere codice reperisse se testatur: *mihi ipsi, non nomini.*

Pronomen etiam *ipsi* aperte postulat, ut sequatur substantivum, quod oppositionem contineat. Caeterum non repugnabo, si quis *non* negationem in *novo* mutatam, idque deinde transpositum contendat. In Iunt. enim monente Orellio *novo* ante *homini* collocatum deprehenditur.

C. IV. §. 9. *Ergo his fundamentis positis consulatus tui, triduo post, inspectante et tacente te, a P. Clodio, fatali portento prodigioque reipublicae lex Aelia et Fufia eversa est.*

Nihil ab editoribus, ne a nupero quidem editore, Orellio, de hoc loco monitum est. Orellius autem reprehendendus est, quod varias Britannicorum codicum scripturas commemorare neglexit. Eorum tres, C, H_2 et S, pro *tacente te, a P. Clodio, fatali* habent *tacente tribuno a facili*, et χ *tacente tr. a facili.* Quae scripturae, collatae praeterea cum lectione codicis Erfurtensis, qui pro *a P. Clodio, fatali* exhibet *clodio a fatali* nullum relinquunt dubitandi locum, quin verba *P. Clodio* cum essent super praepositionem *a* explicationis causa posita, a librariis quibusdam recepta, sed, ut fieri solitum, ab aliis alio loco collocata sint. In aliis tamen codicibus superscriptum videtur fuisse *tribuno*, id quod Britannici libri in textu habent. Vidimus autem paullo ante, ter iam in hac oratione codicem Erfurtensem contra sensum loci nomen *Clodii* additum habere. Hoc vero loco, ubi diversa nominis collocatio scripturaeque varietas verba *P. Clodio* insititia esse satis superque ostendunt, licet sensus nominis istius additionem non prorsus respuat, tamen

eo est probabilius, non esse a Cicerone posita, quo magis apparet, multo maiore cum contemptu oratorem de P. Clodio loqui, si indignum hominem iudicat, cuius nomen apponat, ac verbis tantummodo *fatali portento prodigioque reipublicae* significandum putat, quam si ipsum eius nomen addit. Atque revera tanto in P. Clodium odio Ciceronem fuisse inflammatum, ut indignum haberet, cuius nomen pronuntiaret, ex hac intelligitur oratione, in qua cum saepissime eius mentio iniiciatur, tamen bis tantum nomen eius a Cicerone scriptum est, C. VII. §. 15. *Quae enim L. Catilinam conantem consul prohibui, ea P. Clodium facientem consules adiuverunt*, ubi non est dubium, quin quo numerosior oratio, aequalioraque membra existerent, ipsum sit nomen P. Clodii positum, et C. XII. §. 27. *et contra suum Clodium pugnavit*, ubi addito nomine gravior fit acerbitas, qua in Gabinium invehitur orator. Praeterea mentio eius facta est omisso eius nomine his locis. C. V. §. 11. *ab eo, qui* etc. C. VI. §. 12. *spem habere a tribuno plebis* C. VI. §. 14. *ab eo, cui* etc. C. VII. §. 14. *ille homo*. C. VII. §. 15. *eum, cui* etc. C. IX. §. 19. *cum illo bustuario gladiatore*. C. X. §. 23. *a Catilinae quondam praevaricatore, tum ultore*. C. XII. §. 28. *ille sororius adulter*. C. XXIV. §. 56. *tribuno plebis*. C. XXXIII. §. 82. extr. *eius, a quo*. C. XXXIX. §. 95. *ille auctor tuus provinciae*.

Ob eandem causam quotiescumque fieri potuit, Gabinii etiam nomen pronuntiare recusavit. Cfr. C. VIII. §. 18. *cum illo suo pari*. C. IX. §. 20. *Catilinae lanternario*. C. X. §. 22. *collegae tui*. C. XII. §. 28. *Sed ille*. C. XVI. §. 37. *collegam tuum*. C. XVII. §. 41. *ille gurges*. C. XIX. §. 44. *ab altero*. C. XXI. §. 48. *Ecce tibi alter*. Quo minus dubitari potest, quin a glossatore nomen Gabinii additum sit C. IX. §. 19. *si mihi cum illo bustuario gladiatore, et tecum, et cum Gabinio collega tuo decertandum fuisset*. Accedit, quod solus codex Taurinensis nomen Gabinii illo in loco agnoscit. Sed puto etiam contra omnium codicum auctoritatem eiiciendum nomen eius C. XII. §. 27. *cum tamen ille, qualiscumque est, qui est ab uno te improbitate victus, Gabinius, collegit ipse se, vix, sed collegit tamen* etc.

Nam verba ipsa, quae antecedunt nomen Gabinii, sufficiunt ad significandum nomen eius, de quo sermo sit, ita ut additio eius tum orationis vim infringat,

tum contemptum mitiget, quo impulsus alibi orator ipsum helluonis nomen pronuntiare aversatur.

His scriptis cum inspicerem Asconii editionem, quae prodiit Luteciae an. 1520. cura Petri Vidoae, vidi diserte confirmari, id quod ego C. IV. §. 9. coniectura assecutus eram. In ea enim scribitur: *inspectante te et tacente a fatali portento prodigioque reipublicae* etc. Quo pretio autem illa sit editio, ex verbis, quae in fine Asconiani commentarii posita sunt, intelligi potest. Sunt autem haec: *Haec est pars Q. A. Pediani cura et diligentia Pogii Florentini Viri literatissimi reperta in coenobio sancti Galli prope Constantiam. et ab ipsius Pogii exemplaribus transcripta.*

C. V. §. 9. *Ab eodem homine, in stupris inauditis nefariisque versato, vetus illa magistra pudoris et modestiae, severitas censoria sublata est.*

Ita nunc scribitur. Sed codex Erfurtensis, et quatuor Britannici C, H, S, et χ omittunt *censoria*. Quae omissio quamquam per se iam adducere editores debebat, ut viderent, ne quid vicii hic locus contraxisset, tamen magis etiam ex Asconii adnotatione cognoscere poterant, verba *severitas censoria* a Cicerone non esse scripta. Asconius enim haec habet in extrema, quae ad hunc locum scripta est, adnotatione: *Hac ergo eius* (sc. P. Clodii) *lege censuram, quae magistra pudoris et modestiae est, sublatam ait.* Patet ipsis Ciceronis verbis uti Asconium, ideoque scriptum eum legisse in codice, quem usurparit, non *severitas censoria*, sed *censura*. Atque id ipsum praebet etiam editio illa Petri Vidoae, cuius supra meminimus, in verbis Ciceronis, quae Asconii adnotationem antecedunt. Scriptum in ea: *Ab eodem homine — modestiae censura sublata est.*

Ea autem scriptura cur mutaretur in *severitas censoria*, haec fuit causa, quod ab interpretibus, qui animadverti volebant, non totum censorum munus a P. Clodio sublatum esse, ea ipsa verba superscripta erant. Librarii tamen nonnulli, id quod alias etiam factum, non utrumque verbum, sed alterutrum tantum in locum genuinae scripturae substituerunt. Habes am novum exemplum glossae pro genuino verbo a librariis invectae. Alia infra ex hac oratione proferemus. Caeterum nemo non intelligit, multo graviorem vim subesse verbo *censura*, quam verbis *severitas censoria*, neque offensionis quicquam habere, quod

censura dicatur sublata, cum ex verbis praecedentibus *vetus illa magistra pudoris et modestiae* dilucide pateat, eam tantum muneris censorii partem, quae ad morum aestimationem pertinuerit, a P. Clodio sublatam debere intelligi.

C. XIV. §. 53. *Mihi medius fidius in tanto omnium mortalium odio, iusto praesertim et debito, quaevis fuga potius, quam ulla provincia esset optatior.*

Duo optimi et antiquissimi codices, Taurinensis et Vaticanus, omittunt particulam *potius*, quam uti non nescio a Cicerone nonnunquam abundanter addi, ita idem intellexi saepius a glossatoribus insertam esse. Cfr. quae dixi supra. Hoc autem loco eo minus dubitari debet, quin sit insititia, quo gravior utriusque codicis consensus est. Qui quamquam non raro a se dissentiunt, tamen quotiens idem uterque verbum omittunt, totiens soli integram Ciceronis manum servasse sunt existimandi. Itaque auctoritatem eorum secutus iam Orellius est in tribus reliquis locis, ubi soli omittunt verba, quae in ceteris codicibus omnibus scripta extant. Omittunt autem C. XV. §. 54. *populo Romano*, quae verba adhuc inter *consentiente* et *atque* inserta legebantur; C. XX. §. 48. *tui*, quod pronomen vulgo post *amici te* additum est; et C. XXVII. §. 65. *sunt*, quod scriptum erat ante *atque ineptiae.*

Sed eorundem codicum a se dissentientium longe levior est auctoritas. Certe Vaticanus si solus addit, quae reliqui omittunt codices, diligenter videndum, ne spuria verba offerat. Ita aperte insititia verba habet his locis.

C. XXVII. §. 64. *videre equites Romani non possunt* additum habet, quod sine dubio super *non possunt* erat scriptum, ante illa verba *nolunt.*

C. XXIII. §. 54. *Scio item — Q. Marcium, quorum tu legatorum proelio imperator appellatus eras, cum longe afuisses, adventu isto tuo domi fuisse otiosum,* addit post *legatorum opera in.*

Quae verba cum Garatonius iam et Orellius non esse a Cicerone scripta intellexerint, non est quod ego de inepto sensu, qui additis iis oriatur, moneam.

Idem Vaticanus cum aliis nonnullis codicibus C. XXVI. §. 62. ante *laurede* addit *coronae*, quod recte editores recentiores recipere recusarunt, et C. XV. §. 37. post *emptos tribunos*, quod Asconius, Taurf. multique alii optime omittunt, cum ex

verbo praecedente *promulgassent* pateat, non posse de aliis nisi de tribunis plebis cogitari.

C. IX. §. 20. *Neque ego hercule supercilium tuum, neque collegae tui cymbala ac crotala fugi.*

Ita hic locus in editione Orellii, et melius utique quam in ceteris editionibus scriptus legitur. Verum codex Taurin., ex quo solo verba Ciceronis ita hic emendata sunt, ut aptum sensum praebeant, omittit verba *ac crotala*. Unde quae nasci debet suspicio, ab interprete addita illa et recepta per librarios in textum esse, magis etiam reliquorum codicum, qui diligenter collati sunt, lectionibus confirmatur. Nam Erfurtensis et quatuor Britannici C, H, S, et γ pro *cymbala ac crotala* habent *crotalia*, et unus Britannicus T *crotalici*. In quibus codicibus utrumque verbum exstet, plane nescimus. Ut exstent autem, de quo dubitari potest, in aliquot codicibus, ego tamen, qui nullum eorum, in quibus scripta exstare possunt maiore aut eadem certe sciam auctoritate esse, atque ii sunt, in quibus non exstat utrumque verbum, persuasissimum mihi habeo, alterutrum tantum a Cicerone esse profectum. Utrum autem sit a Cicerone positum, tum codicis antiquissimi auctoritas, qui solum verbum *cimbala* habet, ostendit, tum Cicero ipse, c. X. dicens: *cum collegae tui domus cantu et cymbalis personaret.* Itaque verbum *crotala*, quod saepe non differre a notione vocis *cymbala* creditum est, explicationis causa superscriptum genuinam vocem in nonnullis codicibus expulisse iudico. Id autem saepius in hac oratione factum. Sic supra vidimus C. V. §. 9. genuinam vocem *censura* glossae *severitas censoria* cessisse. Porro C. XXII. §. 52. *progredi* glossa *procedere*, C. XXV. §. 61. *ferculis* glossa *vehiculis*, C. XXVI. §. 62. *praeripuit* glossa *ademit*, C. XXVIII. §. 68. *fastidivit* glossa *fugit* in plerisque libris manu scriptis loco suo mota sunt. Recte tamen in his quatuor locis ab Orellio iam pristina oratoris manus restituta est.

C. XV. §. 35. *Nam si illud meum turbulentissimum tempus profectionis tuo tranquillissimo praestat, quid conferam reliqua, quae in te dedecoris plena fuerunt, in me dignitatis?*

Idem codex Taurin., cuius auctoritate glossam modo expulimus, hoc etiam loco solus integram Ciceronis manum servavit. Omittit enim vocem *profectionis*, quam miror nondum exterminasse Orellium,

qui duobus in locis solius Vaticani auctoritate, quae levior profecto quam Taurinensis est, non dubitavit omittere, quae reliqui codices omnes addunt. Delevit enim C. XXIII. §. 55. *porta* post *Coelimontana* et C. XXV. §. 59. extr. *deos* ante *videbit*. Eodem autem iure, vel maiore etiam hoc loco vox *profectio* debebat expelli, quae quin glossa sit, eo minus potest dubitari, quo certius est, Ciceronem, si addidisset, non *meum tempus* sed *meae profectionis tempus* fuisse dicturum, quemadmodum pro Planc. C. XVIII. §. 45. non *ambitionis nostra tempora*, ut est in quibusdam editionibus, sed *ambitionis nostrae tempora*, ut in Bavarico et Erfurtensi est, scripsit. Caeterum Cicero eadem de re loquens C. XIV. eodem modo simpliciter dixit: *Atque ut tuum laetissimum diem cum tristissimo meo conferam.*

Quamquam restant loci, in quibus iubentibus codicibus quibusdam eiicienda statuo, quae nunc Ciceronis putantur esse, malo tamen ad alterum interpolationum genus progredi, quod per omnes, qui consulti sunt, codices propagatum est. Atque fuisse hominem doctum, qui in exemplari, quod fons extiterit reliquorum omnium, qui ad nos pervenere, codicum, verba quaedam, ad explicationem facientia, scripserit, quae deinde in textum sint recepta, extra omnem dubitationem ponit Arusianus Messus. Is enim in codice, quem usurpavit Garatonius, Ciceronis verba, quae C. XXIII. §. 53. nunc ita exstant scripta:

Romam vero ipsam foedavit adventus tuus. O familiae non dicam Calpurniae, sed Calventiae; neque huius urbis, sed Placentini municipii; neque paterni generis, sed braccatae cognationis dedecus! quemadmodum venisti?

sic affert:

Romam vero ipsam, o familiae non dicam Calpurniae, et huius urbis, sed Placentini municipii, et bracatae cognationis dedecus, quemadmodum ingressus es?

Ut primum de omissis verbis *foedavit adventus tuus* dicamus, certissimum est, ea non extitisse in codice, quem usurpavit Arusianus. Locutio enim, cuius exemplum proferret, monente Garatonio, haec fuit posita: *Ingressus loca.* Unde hoc etiam apertum est, non *venisti* sed *ingressus es* debere scriptum fuisse in exemplari, quo Arusianus usus est. Praeterea

tantum abest, ut necessaria sint verba ista, ut sententiae loci prorsus adversentur. Toto enim hoc capite (ex rec. Schuetzii, qui verbis *Habes reditum meum* initium fecit C. XXIII.) nihil aliud agit orator, nisi ut desertissimum fuisse Pisonis reditum ostendat. Ac primum quidem iter eius ex provincia usque ad urbem tale dicit fuisse, ut, ne in cuiusquam veniret conspectum, omnes sit solitudines persecutus. Neque ad introitum eius in urbem ubi transiit, quicquam commemorat, quo Roma possit foedata dici, sed neminem tantum eorum, quos aequum fuerit, obviam ei venisse narrat. „Patet ergo, quae Garatonii ad h. locum verba sunt, tria verba, *foedavit adventus tuus*, temere aliquem adiecisse, qui mancam sententiam crederet, cum propter interposita longius protrahatur. Hac adiectione recepta iam consequens illud fuit, ut *ingressus es* tolleretur, quod absolute positum facile omnes offenderet: atque ita *venisti* suppositum fuit."

Non minus autem in reliqua huius loci scriptura Arusianum unice sequendum duco. Nam quo quis fidem eius suspectam reddere possit, ut dicat cum Orellio memoriter haec allata verba esse, id nullam hic vim habet. Ineptum est enim statuere, sic facta illa Elocutionum exempla ab Arusiano esse, ut ex locis veterum scriptorum, qui forte in memoriam redierint, opus suum composuerit, locique, quibus confirmarentur elocutionum exempla, omnes memoriter sint appositi. Immo pro explorato debet haberi, quae in legendis veteribus scriptoribus Arusianus offenderit elocutionum genera, observatu digna, ea descripta ab eo et fortassis, perlectis, ex quibus depromere volebat exempla, scriptoribus, in ordinem quendam disposita esse. Itaque si quis Arusiano hoc loco fidem habere nollet, eo tantum uti argumento posset, quod, ut a Garatonio monitum est, in afferendis locis nonnunquam brevitati potius quam diligentiae studere, atque ea tantum describere verba consueverit, quae ad confirmandam, quam notaverat, elocutionem facerent. Sed ne isto quidem argumento Arusiani potest auctoritas hic infringi, cum, si ea tantum, quae ad elocutionem *ingredi loca* pertinebant verba, describere voluisset, tota interiectio *o familiae — cognationis dedecus* omitti debuerit. Unum hoc restat, ut Grammaticum Ciceronis verba prorsus dicamus mutasse propterea, ut trium quatuorve verborum describendorum labore su-

persederet. Quod cum per se ab omni probabilitate abhorreat, tum incredibilius etiam videbitur reputanti, eorum verborum censeri debere mutationem factam, quae plane potuerint omitti, eamque talem esse, in qua facienda necessario plus operae debuerit et temporis consumi, quam in ipsis verbis describendis. Haec etsi per se iam eo nos ducunt, ut vel inviti Arusiani scripturam unice veram habeamus, non leve tamen ad nostram sententiam momentum accedit ex sententia loci, quae, vulgarem si retinemus scripturam, ineptam et putidam continet tautologiam. Nam *familia Calpurnia* idem prorsus significat atque *paternum genus*, nec plus differt *familia Calventia* a *cognatione bracata*. Quae tautologia uti per se magnam habet offensionem, ita intolerabilior etiam propterea fit, quod singula membra, quae eandem prorsus continent sententiam, ita sibi opponuntur, tanquam diversissimam habeant notionem. Nam ut liceat nonnunquam verba cumulare, quae significatione non magnopere differant, ineptum tamen est, per particulas disiunctivas membra membris opponere, quorum eadem prorsus sententia sit.

Denique causa etiam interpolationis patet. Nam qui verba, *O familiae non dicam Calpurniae, et huius urbis, sed Placentini municipii, et braccatae cognationis* obiter perlegerat, dupliciter poterat offendi, primum eo, quod post *Calpurniae* non continuo sequitur, id quod praecedentibus verbis *non dicam* cum maxime exspectet quis, *sed Calventiae*, deinde quod quae sibi respondent membra, inverso sunt ordine posita. Iam vero qui verba *sed Calventiae*, quae cuivis perlecta prima huius orationis parte non poterant non succurrere, post *Calpurniae* addiderat, is necesse erat, ut reliqua etiam membra mutaret eaque adscriberet verba, quae in codicibus nunc omnibus addita reperiuntur.

His ego argumentis adductus nihil puto certius, quam ita prorsus a Cicerone hunc esse locum scriptum, quemadmodum ab Arusiano allatum vidimus. Quae sententia nostra si vera est, quam puto verissimam, sequitur continuo, minime mirum videri posse, si in aliis etiam huius orationis locis verba deprehendantur insititia, quae omnium nitantur codicum auctoritate. Eorum quaedam data opportunitate nunc placet indicare.

C. X. §. 22. *Hic autem* (Piso) *non tam concinnus helluo, nec tam musicus, iacebat in suorum Graecorum foetore atque vino. Quod quidem istius, in illis reipublicae luctibus, quasi aliquod Lapitharum aut Centaurorum convivium ferebatur, in quo nemo potest dicere, utrum iste plus biberit, aut vomuerit, an effuderit.*

Sic ut attuli extrema verba *aut vomuerit, an effuderit* leguntur scripta in editionibus Gruteri, Graevii, et aliorum. Atque errant, qui particulam *aut* ab editoribus profectam putant, quae non est dubium quin ex optimis deprompta sit codicibus. Sed de codicum scriptura altum est silentium. Taurinensis utram particulam habeat, ignoro, quoniam ad manum non est Ciceronis editio in usum Delphini facta, quacum codex ille collatus est. Consentit autem hoc loco cum editione illa. Erfurtensis tuetur *aut* particulam, quam ego positam ab eo duco, qui verbum *vomuerit* scripsit. Neque discedo ab hac sententia, licet plurimi codices *an* praebere dicantur. Nam hoc librarii etiam mediocriter docti intellexerunt, vitiosam hic *aut* particulam esse, ideoque in *an* mutare non dubitaverunt. At vitiosiorem reddiderunt orationem, qui correxisse se mutata *aut* particula putarunt. Nam quae alius sunt hominis verba, ea cum Ciceronianis coniunxerunt, feceruntque, ut orator praestantissimus inepte hic videri debeat locutus esse. Inepta sunt autem verba *an vomuerit*, quia eandem continent sententiam atque sequentia *an effuderit*, quae tamquam diversa antecedentibus opponuntur. Particula enim *utrum* cum initio interrogationis usurpatur, pluresque sequuntur enuntiationes interrogativae per *an* particulam primae enuntiationi oppositae, necesse est omnes illae quae sequantur novam et diversam contineant sententiam. Neque dici possunt *vomuerit* et *effuderit* ita hic differre, ut prius ad cibum, posterius ad potum, qui evomatur, sit referendum. Utrumque enim si commemorare voluisset Cicero, sine dubio scripsisset: *utrum iste plus ederit et biberit, an vomuerit et effuderit.* Sed ita nec scripsit, nec scribere potuit, quoniam eiusmodi oppositio putida fuisset orationisque vim mirum quantum debilitasset. Neque etiam voracitas unquam Pisoni, sed semper vinolentia tantum exprobratur. Non minus enervaretur oratio, si quis verba *aut vomuerit* post *effuderit* collocata eius ipsius

verbi explicandi causa a Cicerone scripta censeret. Quo facto certe *aut* particula recte se haberet. Sed haec, quae monuimus, satis, puto, probabunt, ad vocem *effuderit* ab interprete apposita verba *aut vomuerit* in textum ab librariis recepta esse.

Eadem particula *aut*, qua modo interpretis manum agnovimus, in eadem sectione apertissime alia glossa proditur. Verba dico *aut Centaurorum*, ad quae haec monuit Garatonius: „Illud certe constat ex hac fabula, quod a nemine observatum demiror, legendum esse, *Lapitharum ac Centaurorum*, non *aut*: simul enim uno in convivio fuerunt. Servius ad VII. Aen. 304. *'Pirithous Lapitharum Rex, cum uxorem duceret, vicinos populos Centauros — ad convivium convocavit.*" Verissime Garatonius *aut Centaurorum* a Cicerone potuisse scribi negavit, quod unum fuerit Centaurorum et Lapitharum convivium, neque, quod addere poterat, ullum unquam memorabile extitit convivium, quod soli habuerint Centauri. Sed quam ipse proposuit mutationem, ea nec facilis hoc quidem loco est, neque efficit, ut Centaurorum commemoratio sententiae loci conveniat. Nam cum dicat Cicero: *quod quidem istius quasi aliquod — convivium jerebatur*, apparet non omnes omnino homines, qui illi Pisonis convivio interfuerint, comparari cum alius symposii turpissimi convivis, sed auctorem convivii, Pisonem, conferri cum alius infamati convivii auctoribus. Itaque aliena prorsus Centaurorum mentio est, quae ea tantum conditione iniici potuit, si pro *istius* scripsisset *istorum*, ita ut convivae essent ad significati. Insititia igitur manifesto sunt verba *aut Centaurorum*.

C. X. §. 23. *Quid? tu in lictoribus, in toga, et praetexta esse consulatum putas?*

Sic in omnibus codicibus hic locus scriptus legitur. Intellexit primus Turnebus Adv. L. XXI. c. 15. inepte *in toga et praetexta* dici. Itaque copulam *et* delevit, quod qui recte fieri non posse vidit Garatonius, coniecit *et in toga praetexta* scribendum esse. Quam coniecturam in textum recepit Orellius. Miror factum. Nulla enim audacior admitti correctio potuit. Qui meminerit, etiam in libro de Amic. c. X. ab interpretibus voci *praetexta* appositum nomen *togae* esse, non dubitabit, id quod etiam Garatonius suspicatus erat, verba *in toga* pro insititiis mecum habere. Nam quod Cicero alibi, veluti in Verr. I. 58., post redit. in

Sen., in Vatin. 7., et pro Balbo 25., quos locos Garatonius attulit, utramque vocem coniungere consuevit, id tantum abest, ut cogat nos statuere, utrumque hic etiam verbum fuisse positum, ut ob id ipsum probabile sit, ab interprete verba *in toga* esse addita. Sic quoniam plerumque Cicero *coronam lauream* solitus est dicere, extiterunt etiam, qui C. XXVI. §. 62. *quod cupidi laureae fuerint* ante *laureae* addiderint *coronae*.

C. XIII. §. 29. *An tum eratis consules, cum, quacumque de re verbum facere coeperatis, aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamabat, ostendebatque, nihil esse vos acturos, nisi prius de me retulissetis?*

Cum verba, *an tum eratis consules, cum cunctus ordo reclamabat* etc. manifesto ostendant, ea, quae sunt interiecta, *quacumque de re verbum facere coeperatis*, de consulum verbis coram senatu factis necessario intelligenda esse, cumque notum sit, eam ipsam consulum actionem, senatum de rebus omnibus, quae ad rempublicam pertinebant, certiorem facientium, formula illa, *ad senatum referre*, indicari solere: patet, verba sequentia *aut referre ad senatum* non differre quicquam ab antecedentibus *verbum facere*, sed meram eorum explicationem continere. Quam cum incredibile sit a Cicerone esse additam, eum, cui denuo hanc orationem edere placuerit, verba ista *aut referre ad senatum* delere oportet.

C. V. §. 11. *Erat non solum domus mea, sed totum Palatium senatu — refertum, cum tu non modo ad eum Ciceronem, (mitto enim domestica, quae negari possunt, haec commemoro, quae sunt palam) non modo, inquam, ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogativae* etc.

Ut dicam statim quod sentio, insititium nomen *Ciceronis* est. Primum enim per se incredibile est, Ciceronem nomen suum hic adiecturum fuisse, deinde vero incredibilius etiam, si posuisset ante *mitto*, non fuisse iterum positurum ante pronomen *cui*.

C. I. §. 3. *Tu consul es renunciatus (nihil dicam gravius, quam quod omnes fatentur) impeditis reipublicae temporibus, dissidentibus consulibus Caesare et Bibulo.*

Manutius iam nomina *Caesare et Bibulo* ut glossema delenda monuit, nulla tamen delendi causa addita. Equidem cur insititia putem, duplex causa est,

prima haec, quod iis, ad quos habita haec oratio est, notissimum erat, qui fuissent illo anno, quo Piso consul est factus, consules, altera quod Cicero, qui ab eo tempore, quo in gratiam redierat cum Caesare, maximopere cavit, ne animum eius ullo modo offenderet, facile indignationem eius movere poterat, si ad turbulenta illa reipublicae tempora, quibus Caesar consul erat, respicere coactus non satis habebat dissensionum facere mentionem, sed ipsa hominum, qui auctores erant impeditorum reip. temporum, nomina sine ulla necessitate commemorabat. Minus enim offendimur, si quis rem, cuius extitimus auctores, tantum improbat, quam si nomen simul nostrum commemorat. Ea etiam fuit causa, cur Cicero C. III. §. 6. dicens: *Ego cum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quae constitueram; cumque is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret; sine ulla dubitatione iuravi, rempublicam — esse salvam*, nomen Q. Metelli supprimere mallet, quoniam cum hoc quoque postmodo, ut narrat C. XV. §. 35., in gratiam redierat.

C. IX. §. 21. *Aliis impendentibus tempestatibus non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli.*

Liberandus hic locus pronomine *his*, quod non inutile tantum, sed alienum etiam ab antiqua loquendi consuetudine est, numerumque orationis vehementer hic corrumpit.

C. XXIV. §. 57. *Nam ut levitatis est, inanem auctupari rumorem, sic levis est animi, lucem splendoremque fugientis, iustam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare.*

Quod Lambinus iam contendit, insititium esse *levis*, permirum est, non probasse Garatonium et Orellium, quorum prior adeo coniecturae illi aliquid praesidii esse in Vaticani traiectione *levis* post *est* collocantis monuit. Nihilominus vulgatam retinendam scripturam putavit, ad quam tuendam haec protulit: „Nomen levitatis constat patere latissime I. de Offic. 26. *nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre, levitatis est.* Ergo levitas est tum abiectio animi, tum insolentia. Quidni etiam *levis* appelletur angustus animus atque demissus? tali animo haud minus, quam fracto et abiecto, magnus, altus, excelsus opponitur. Tam levis est hominis, falsam gloriam consectari, quam iustam repudiare: haec etenim duo,

quae sunt inter se plane contraria, numquam in eundem, sed tamen in parvum animum cadunt: parvus autem animus et ille est, qui vanus ac futilis, et ille, qui demissus atque ieiunus, qui lucem hominum fugit, honorisque splendorem."

Haec Garatonius, cui ut concedam, *levem* etiam posse dici, qui demisso sit et abiecto animo, tantum tamen abest, ut eo concesso vulgata retineri scriptura possit, ut pervesitas eius magis etiam patefiat. Nam si adiectivum *levis* alio putatur sensu dictum quam quod antecedit oppositumque est substantivum *levitatis*, inepte locutus Cicero existimari debet, qui idem eidem verbum diversa notione opposuerit. Sin eodem sensu utrumque verbum censetur positum, triplex vitium admisit orator: primum, quod idem cum bis dicere vellet, idem verbum *levitatis* non bis posuit; secundum, quod, quae ex diversis animi vitiis proficiscuntur, *inanem aucupari rumorem*, et *iustam repudiare gloriam* uni eidemque animi vitio adscripsit; tertium, quod pugnant verba *lucem, splendoremque fugientis* cum ea notione adiectivi *levis*, quam habet, si eodem quo paullo ante *levitas* existimatur sensu dictum. — Haec, puto, evincent, ab interprete *levis* esse additum.

Plures etsi restant in hac oratione loci, quos interpolatricem manum expertos credo, non vacat tamen diutius in eis tractandis commorari. Nolo vero eiusmodi verba haberi spuria, qualia Schützius passim e textu eiecit. Ita C. XIX. §. 43.:

Thyestea ista exsecratio est, poetae, vulgi animos, non sapientium moventis, ut tu naufragio expulsus uspiam saxis fixus asperis, evisceratus latere penderes, ut ait ille, saxa spargens tabo, sanie, et sanguine atro.

Delevit verba *ut ait ille*, quae tantum abest, ut sint supervacanea, ut omitti vix potuerint a Cicerone, qui cum Ennii verba paullulum mutata suae accommodasset orationi, insolentemque elocutionem, *latere pendere*, poetae, non oratori condonandam, in usum suum convertisset, debebat auditores, non suam, sed Ennii hanc esse locutionem, necessario commonere. Id autem factum additis verbis *ut ait ille*. Caeterum peccarunt editores, qui quae ex Ennii tragoedia Cicero hic deprompsit verba, ea sic ab reliqua oratione segregarunt, ut versuum speciem praeberent. Nam cum

fuisse opponendam. Itaque praeter oppositionis particulam *tamen* prorsus necessaria etiam particula copulativa est. Eam autem restituimus, scribentes *ac*, quae copula saepissime a librariis male in *hac* mutata est.

Erunt tamen, qui iunctis particulis *ac tamen* offendantur, quandoquidem nullus apud Ciceronem, quantum memini, locus nunc exstat, in quo iunctae reperiantur. Quibus primum respondeo, indocti esse hominis, elocutionem *ac tamen* ut linguae legibus repugnantem reiicere cum *et tamen* particulas saepe coniungi solere inter omnes constet. Deinde vero praestantissimorum codicum scripturas oppono, quos si sequi volumus, multis in locis eae ipsae particulae restitui debent. Sequendos autem esse, inde discimus, quod quae contra eos positae lectiones sunt, eae aut mutationis audacia, aut sensus perversitate, quem praebent, reprobantur.

Ac primum quidem locum, qui harum particularum iuncturam tueatur et comprobet, hunc ipsum pono, quo de agimus. Nulla enim excogitari mutatio potest, quae cum facilior, tum sententiae accommodatior sit. Secundum locum haec ipsa praebet oratio C. I. §. 3.:

Miserum me! cum hac me nunc peste atque labe confero? sed nihil comparandi causa loquar, ac tamen ea, quae sunt longissime disiuncta, comprehendam.

Omnes hic codices quatuor exceptis Britannicis, quorum exigua est auctoritas, habent *ac tamen*, quas particulas recentiores editores in *attamen* mutarunt. Non nego eiusmodi hunc locum esse, qui *attamen* particulam admittat, quoniam verba *ea — comprehendam* etiam opposita antecedentibus existimari possunt. At cum non minus apta existat sententia, si per copulam adiunguntur praecedentibus, cumque certum sit, neminem quicquam in hoc loco fuisse mutaturum, si scriptum *et tamen* fuisset: temerarii critici puto, particulam *attamen* in locum vulgaris scripturae sufficere.

Tertius locus exstat in orat. de prov. consul. C. VII. §. 16.

Sed fruatur sane hoc solatio, atque hanc insignem ignominiam, quoniam uni praeter se inusta est, putet esse leviorem: dummodo, cuius exemplo se consolatur, eius exitum exspectet: praesertim cum

in Albucio nec Pisonis libidines, nec audacia Gabinii fuerit, hac tamen una plaga conciderit, ignominia senatus.

Prorsus similis hic locus ei est, qui in orat. Pison. C. XIII. §. 30. legitur. Debebant enim etiam hic verba *una — conciderit* antecedentibus *cum — fuerit* per copulativam particulam opponi. Iam si praeterea consideraveris scripturam, quam praebent codices Erfurtensis, Barberinus, duo Britannici, et editio Veneta prior, in quibus pro *hac tamen una plaga* legitur *hac tamen hac una plaga:* quid tandem certius est, quam scripsisse Ciceronem: *ac tamen hac una plaga conciderit?*

Quartus locus in eadem exstat oratione C. XV. §. 38.

Attamen his sententiis Piso in provincia permanebit.

Solus Lambinus sententiam loci intellexisse censendus est, qui pro *attamen* scripserit *ac tamen*, neque, opinor, sine codicum auctoritate. Nam eodem modo scribitur in Erfurtensi, et quatuor Britannicis. Repugnat autem hic aperte *attamen* particula loci sententiae. Adduntur enim haec verba argumentis, quibus Cicero eorum virorum sententias oppugnaverat, quorum alter ulteriorem Galliam cum Syria, alter citeriorem decreverat. Sensus igitur horum verborum hic est: Accedit, quod his sententiis nihilominus Piso in provincia manebit. Is autem corrumpitur posita *attamen* particula. — Alii loci, quibus particularum *ac tamen* compositio probetur, nunc non redeunt in memoriam.

Revertor ad orationem Pisonianam.

C. XV. §. 35. *Quem mecum eadem respublica, quae in tribunatu eius disiunxerat, in consulatu, virtute optimi ac iustissimi viri sapientiaque, coniunxit.*

Codex Taurinensis, antiquissimus omnium, pro *disiunxerat* habet *diluxerat.* Quid, si scripsit Cicero *diduxerat?*

Ibid §. 36. *Ex vobis audio, nemini civi ullam, quo minus adesset, iustam excusationem esse visam; nullis comitiis unquam nec multitudinem tantam, neque splendidiorem fuisse.*

Quod sola erat coniectura mutandum, utpote prorsus soloecum, id ne codicum quidem auctoritate accedente Orellium correxisse permirum est. Requirimus enim pro comparativo *splendidiorem* necessario

substantivum *splendorem*, id quod in Faerni codice et duobus Britannicis H, S, scriptum legitur, atque Faerno iam, cui accessit Garatonius, restituendum esse visum est. Duplex autem causa est, cur necessarium sit substantivum *splendorem*: altera, quod *nec* particula ante *multitudinem* posita postulat, ut post alteram, quae opposita est, negationem *neque* non adiectivum, sed substantivum sequatur, quod *multitudini* respondeat: nam adiectiva *tantam* et *splendidiorem* si addidisset orator substantivo *multitudinem*, eaque sibi invicem respondere voluisset, necessario *nec* particula, quae nunc ante *multitudinem* locum habet, ante *tantam* erat collocanda; altera haec est, quod, etiamsi particula negativa ante *tantam* fuisset posita, tamen vitiosa oratio esset, cum adiectivo *tantam* non comparativus *splendidiorem*, sed verba *tam splendidam* debuissent opponi. Unice vera igitur scriptura *splendorem* est, quam firmat praeterea ipse Cicero pro Domo c. XXVIII. §. 75. *constat, nullis umquam comitiis campum Martium tanta celebritate, tanto splendore — floruisse.* et post red. in Sen. c. XI. §. 28. *quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiae totius ordinumque omnium vidistis?* C. XIX. §. 44. *M. Marcellus — periit in mari: qui tamen ob virtutem gloria et laude vivit.*

Ita Orellius scripsit, et rectius quidem quam illi editores, qui pro *gloria et laude* cum codicibus plerisque dederunt *gloriae laude*, sed stribliginem tamen intactam relinquens, quam optimi codicis, Vaticani, auctoritate tolli oportuit. Is enim ante *gloria* praepositionem *in* addit, quae tantum abest ut cum Garatonio insititia possit haberi, ut ad sententiae integritatem prorsus sit necessaria. Recte quidem dicitur *vivere aliqua re* omissa praepositione, sed ita tantum, ut res, qua quis dicatur vivere, talis sit, qua vita eius contineatur vel servetur. Itaque quamquam proba etiam elocutio est, *laude vivere*, tamen longe diversum praebet sensum, quam quem hoc loco requirimus. Ita Cicero Or. Philipp. XIII. c. III. §. 7. dixit: *aut enim victis his fruamur victrice republica, aut oppressi, quod omen avertat Jupiter, si non spiritu, at virtutis laude vivemus.* In quo loco patet verbis *si non — vivemus* hoc significari: licet vitam hanc mortalem amittamus, tamen eo, quod virtuti studuimus, immortalitatem conseque-

mur. Itaque hic *virtutis laude vivere* sic dictum est, ut *laus virtutis* id sit, quo vita in aeternum producatur et servetur. Contra dicendum est *in aliqua re vivere*, quoties status vel conditio, in qua vitam quis degat, describitur. Sic locutus Cicero est de Offic. L. III. c. I. §. 3. *Ita qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam viximus.* et de Fin. L. I. c. XIII. §. 43. *qua praeceptrice in tranquillitate vivi potest.* Nostro autem loco non potest omissa praepositione *gloria et laude* dici, quoniam verba *ob virtutem* praecedunt, ideoque virtute dicitur effici, ut M. Marcellus post mortem etiam vivat. Itaque verba *gloria et laude* conditionem vel statum vitae, quam virtute sua Marcellus in aeternum dicitur producere, necessario debent indicare, ex quo intelligitur, *in* praepositionem esse addendam.

PRO LEGE MANILIA.

Paucos puto codices extare, in quibus aliquod antiquitatis monumentum librariorum mendis et erroribus tam immune sit servatum, quam haec est oratio in codice Erfurtense servata. Nam si exceperis C. I. §. 1. v. 3., ubi pro *Quirites* male *quare*, et C. I. §. 2. v. 7., ubi pro eodem nomine falso *cur* scribit, porro C. I. §. 3. v. 4., ubi pro *Gn.* habet *genere*, C. IV. §. 10. v. 11., ubi pro *afficta* habet *ac ficta*, eosque locos in initio orationis, ubi pro *ex* vel *e* praepositione male *et* copulam habet: nullum fere praeterea mendum, quod cuiusquam momenti sit, admissum reperies. Neque eo etiam nomine reprehendi potest, quo plurimi, imo omnes fere codices reprehenduntur, quod passim incuria describentis verba aliquot omissa sint. Unus enim locus est tantummodo C. XXIII. §. 66. v. 11. 12., in quo apertum est verba, quae non habet, iniuria esse omissa.

Nihilominus mirum quantum ab recensione Ernestiana discedit. Omnino autem nulla alia in oratione tantum, quantum in hac, codicum scripturae discrepant. Ac saepenumero quidem duplex, quam praebent codices, scriptura eiusmodi est, ut utra genuina sit, vix videatur decerni posse. Porro addunt non raro pars codicum verba nonnulla, quae genuinane sint an spuria, non minus dubium est. Denique verborum collocatio in aliis codicibus longe alia est. Quae qui reputaverit secum, necesse est in alterutram in-

clinet sententiam, ut aut ipsum Ciceronem quaedam in oratione postquam habita iam et edita esset, correxisse, aut antiquos interpretes multa huic orationi explicationis causa verba adscripsisse putet, quae Ciceronianae orationi per librarios inserta sint. Priorem sententiam prorsus improbabilem esse, non opus est, ut argumentis ostendam, quae cuivis sponte occurrent, cum de locis, qui veniunt in controversiam, exponemus. Itaque interpretum additamentis et glossis cum corruptam hanc orationem esse certum sit, necesse est, ut, si non liceat ubique internis, quae dicuntur, argumentis demonstrare, utra lectionum, quas praebent codices, ut genuina recipienda sit, ante omnia videamus, quorumnam codicum maxima videatur auctoritas esse. Quae si cernitur eo, quod perquam vetusti sunt, vel ex vetustis certe exemplaribus descripti, quod immunes sunt describentium mendis, quod cum antiquorum Grammaticorum testimonio, qui locos quosdam huius orationis commemorant, prorsus consentiunt, et quod multis in locis, ubi sententia ipsa manifesto nos docet, utra lectionum, quas offerunt codices, Ciceronis sit, eam ipsam servarunt, quam genuinam esse intelligimus: tum profecto tanta apud nos codicis Erfurtensis, in quem ista fere omnia cadant, auctoritas debet esse, ut in locis ambiguis unice eius scriptura probanda videatur.

Ac primum quidem licet non sit vetustissimus codicum, qui hanc servarunt orationem, tamen ex vetustissimo descriptum eum esse, inde patet, quod, quae non possunt non offendi menda in eo libro, qui per multas librariorum manus ad nos pervenerit, ab iis maximam partem vacuus est. Accedit, quod cum antiquissimo illo, quem Peyronius contulit, codice Taurinensi, qui partem huius orationis servavit, prorsus consentit. Porro scripturae eius, aliis codicibus alias praebentibus, antiquorum Grammaticorum, qui huius orationis mentionem iniecerunt, testimonio confirmantur. Ita titulus in eo idem huic orationi praefixus est, quo veteres Grammatici significare hanc orationem consueverunt. Praeposita enim verba sunt: *M. t. Ciceronis De Imperio Gn. Pompeii Oratio incipit.* Eodem titulo utuntur Priscianus Lib. IX. C. X. p. 468. ed. Krehl., Servius ad Virg. Georg III, 64., et Arusianus Messus in Elocutionum Exemplis Frontonis nomine ab A. Maio editis p. 379. et 382.

Memini etiam a Grammatico quodam, nisi fallor a Diomede, hanc orationem *Pompeianam* dici. Vulgaris autem huius orationis titulus non est dubium, quin depromptus sit ex eo codice, quo usi sunt, qui primi hanc orationem typis excudendam curarunt. Eum autem cum multis argumentis demonstrari possit, nec antiquum admodum nec praestantissimum fuisse, non video, cur non is potius huic orationi titulus praefigatur, quem antiquissimis certe temporibus in usu fuisse Grammatici testantur, quemque ii habent codices, quos praestantiores esse omnes fatentur. Consentiunt enim cum Erfurtense, monente Grutero, Palatini fere omnes, Verdensis, et Hittorpianus, quamquam in iisdem *seu de laudibus* post *de imperio* addi Gruterus monuit. Sed adiectio ista valde dubito an non sit in omnibus istis, quemadmodum non est in Erfurtensi, cui eam ipsam Gruterus tribuit. Nemo enim Grutero negligentior fuit in enotanda lectionum varietate.

Eundem titulum probavisse etiam e quatuor suis codicibus Guilielmum Quaest. Plaut. in Mil. C. 6., a Garatonio monitum est.

Porro consentit Erfurtensis cum Arusiano Messo C. VI. §. 16., qui locus in recentioribus editionibus sic scriptus legitur:

Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conservaveritis?

At mirum est, non sponte iam intellexisse recentiores editores, codicis Erfurtensis scripturam, a Graevio iam memoratam et receptam, pro *fructuosi* habentis *fructui*, id quod etiam antiquissimus Fabricii codex praebuit, unice genuinam esse et explicatam eo ipso verbo, quod reliqui habent libri manu scripti. Nunc tamen utra vera sit scriptura, non potest a quoquam ambigi, cum videamus Arusianum Messum in Exemplis Elocutionum p. 379. haec scripsisse:

Fructui mihi est illud. Cic. de imperio Pompeii Putatis ne vos his rebus frui posse, nisi eos qui fructui vobis sunt conservaveritis?

Denique ipsa sententia nonnullis in locis manifesto nobis ostendit, Erfurtensis scripturam non posse a Grammaticis profectam esse. Maxime illustris locus est C. XI. §. 30., qui in omnibus editionibus ita se habet: *Testis est iterum et saepius Italia, quae cum servili bello taetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum expecta-*

tione Pompeii attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum.

Nec quicquam varietatis ad hunc locum ex codicibus enotatum ab editoribus est. Solus igitur, ut videtur, codex Erfurtensis pro *Pompeii* habet *eius*, quod pronomen non fuisse interpretes in locum *Pompei* substituturos, luce clarius est.

C. I. §. 2. *Et si quid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse censuerunt.*

Solus, si fides editoribus habenda est, codex Erfurtensis pro *censuerunt* habet *duxerunt*, quo verbo nego unquam interpretes ad explicationem verbi *censere* usos esse. Contra *ducere* potuisse verbo *censere* explicari, quivis concedat necesse est.

C. V. §. 13. *Vident — unum virum esse, in quo summa sint omnia, et eum prope esse.*

C. VI. §. 16. *Cum duo reges cum maximis copiis prope adsint?*

In utroque loco Erfurtensis pro *prope* habet *propter*. In priore consentientes secum habet unum librum Lambini et Hittorpianum, in altero solum Hittorpianum. Miror iterum editores, qui non viderint lectionem, quam receperunt, apertissime glossam esse. Etenim iam veteribus Grammaticis singularem visum esse usum praepositionis *propter*, loci habentis significationem, intelligimus ex Arusiano Messo, qui in Eloc. Exempl. p. 392. haec adnotavit:

Propter te, iuxta te. Cic. in Pis. 3. Hic vir clarissimus, qui propter te sedet, Lucius Gellius. Virg. G. III. 13. Et viridi in campo templum de marmore ponam propter aquam.

Atque in ipso illo Pisonis loco supra iam vidimus *iuxta* glossam pro genuina scriptura *propter* in codice Erfurtense exstare.

Magis autem offendit in hac oratione interpretes *propter* adverbii loco usurpatum, unde *prope* explicationis causa superscriptum et a librariis receptum est.

C. XIV. §. 41. *Itaque omnes quidem nunc in his locis Gn. Pompeium, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de coelo delapsum intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam abstinentia.*

Pro *abstinentia* Erfurtensis, quicum consentit Taurinensis et margo Cratandri, habet *continentia*. Hic

quoque ab omni abhorret probabilitate, quemquam interpretum, si scriptum fuisset *abstinentia*, verbo *continentia* fuisse explicaturum. Contra verbum *abstinentiae*, quo omnino saepe solet vis verbi *continentiae* illustrari, interpretibus eo magis debebat succurrere, cum praecedant §. 40. verba: *sed eae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.*

C. XIV. §. 42. *Iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat — vos, Quirites, hoc ipso in loco saepe cognostis.*

Pro *in loco* Erfurtensis et Taurinensis habent *ex loco*, id quod Orellius iam monuit ab iis, qui parum intellexissent, mutatum in vulgarem scripturam esse. *In loco* profecto nemo verbis *ex loco* explicasset. Caeterum conferantur huius orationis C. I. §. 3. *quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi.*, C. VIII. §. 21. *L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum, et* C. XVII. §. 52. *et ex hoc ipso loco permulta item contra eam verba fecisti.*

C. IX. §. 23. *Erat etiam alia gravis atque vehemens opinio, quae per animos gentium barbararum pervaserat.*

Omittit *per*, quam praepositionem equidem propterea delendam iudico, quod verbum *pervadere*, sicubi translato significatu usurpatur, cum simplice accusativo omissa praepositione videtur coniungi. Valet hoc de aliis etiam similis significationis verbis, quae proprium cum habent significatum, addita praepositione usurpantur, cum vero translate dicuntur, solum accusativum asciscunt. Eiusmodi est *adire ad aliquem* et *adire aliquem*.

Ibidem. *Noster autem exercitus, etsi urbem ex Tigranis regno ceperat et proeliis usus erat secundis, tamen — commovebatur.*

Pro *etsi* habet *tametsi*, quod nec interpretibus, nec librariis posse adtribui, sponte patet.

In iis, quos hactenus tractavi, locis nullum reliqui dubitandi locum existimo, quin Erfurtensis scriptura ab ipso sit Cicerone profecta. Quodsi alii sunt loci, in quibus duplex, quam codices praebent, scriptura eiusmodi est, ut utra Ciceronis sit, internis de-

monstrari argumentis nequeat, quis est, quin eorum codicum recipere lectiones malit, quos aliis in locis genuinam auctoris manum servasse cognoverit? Itaque mihi certe recte facere videtur, qui in locis illis ambigüis codicis Erfurtensis auctoritati reliquorum librorum scripturas debere cedere contendit. Ambigui autem loci hi sunt:

C. XIV. §. 41. *Nunc denique incipiunt credere, fuisse homines hac quondam continentia: quod iam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur; nunc imperii vestri splendor illis gentibus lucet.*

Pro *lucet* habet noster cum Taurinense et Coloniense *lucem afferre coepit.* De qua lectione sic iudicavit Ernestius: „est glossa verbi *lucet*, nec illa bona. Sensus est: nunc illa imperii gloria plane manifesta est et incurrit in oculos omnium. Offic. I. 9. *aequitas lucet ipsa per se.*“ Idem censuit Orellius. Errat autem aperte Ernestius, quod apta sensui verba *lucem afferre coepit* esse negat. Quibus enim argumentis efficiet quisquam, Ciceronem debuisse nunc dicere, *manifestam esse gloriam imperii*, cum antecedentia *nunc denique incipiunt credere* prorsus eorum faveant sententiae, qui multo accommodatiora verba *lucem afferre coepit* quam simplex *lucet* esse mecum contendent?

Itaque ego sic iudico, eum, qui scripserit *lucem afferre coepit*, orationis concinnitati melius consuluisse, quam a quo *lucet* positum sit. Iam interpretes num probabile sit melius scripsisse Cicerone, alii viderint.

C. III. §. 7. *Et quoniam semper appetentes gloriae praeter ceteras gentes, atque avidi laudis fuistis, delenda vobis est illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta.*

Pro *suscepta* habet *concepta.* Cum utroque verbo Cicero in eadem elocutione usus sit, altero pro Rosc. Am. C. XXIV. *inde si qua macula concepta est*, altero pro Font. C. XII., quem locum attulit Matthiae, *ne qua insignis huic imperio macula atque ignominia suscipiatur*, per se incertum est, utrum hoc loco posuerit.

C. V. §. 12. *Ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos legatum, omni supplicio interfectum, relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam r e l i n q u e r e, sic*

vobis turpissimum sit, id quod accepistis, tueri et conservare non posse.

Pro *gloriam relinquere* habet cum nonnullis libris Lambini *gloriam tradere*, quod ego vel propterea praefero, quod modo *relinquetis* praecessit.

C. VI. §. 14. *Itaque haec vobis provincia, si et belli utilitatem et pacis dignitatem sustinere vultis* etc.

Pro *sustinere* habet cum Verd., Dresd., et Hittorpiano *retinere*, quod idoneis argumentis praeferendum Graevius monuit.

C. XIII. §. 37. *Quem enim possumus imperatorem aliquo in numero putare, cuius in exercitu veneant centuriatus atque venierint?*

Pro *aliquo* cum Hittorpiano scribit *ullo*.

C. XV. §. 44. *Cum universus populus Romanus referto foro, repletisque omnibus templis* etc.

Pro *repletisque* cum Dresd. et septem Britannicis habet *completisque*.

C. XXII. §. 64. *Ut nihil aliud, quam de hoste ac de laude cogitet.*

Pro *quam* habet *nisi*.

Sed nihil ut dissimulem, ingenue profiteor, in tribus, qui reliqui sunt, locis mihi ipsi codicem Erfurtensem pro genuina scriptura glossam videri recepisse.

C. III. §. 7. *Qui uno die — atque una significatione cives Romanos necandos trucidandosque denotavit.*

Pro *denotavit* habet *curavit*.

C. IV. §. 10. *Sed de Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa afficta esse videatur.*

Pro *nostra* habet *mea*.

C. XX. §. 60. *At enim nihil novi fiat contra exempla atque instituta maiorum.*

Pro *nihil* habet cum codicibus, quos usurpavit Guilielmus, *ne quid*. Contra septem Britannici H, S, T, ε, γ, γ^3, et ψ cum editione Veneta utraque post *enim* addunt *inquit*, pro quo Dresdensis *inquiunt* scribit. Miror neminem dum animadvertisse, verbum *inquit* sine dubio ex suprascripta glossa *nequid* ortum esse, quam facillime in *inquit* potuisse mutari, intelliget, qui meminerit frequentissime non *inquit* sed *inquid* in codicibus scribi.

In verborum etiam collocatione, in qua mire dissentiunt codices, saepenumero ipsa loci sententia nu-

merusque orationis eum solum ordinem admittunt, quem in Erfurtense videmus esse.

C. XV. §. 43. *Et quoniam auctoritas multum in bellis quoque administrandis atque in imperio militari valet: certe nemini dubium est, quin ea re idem ille imperator plurimum possit.*

Erfurtensis plane ut Taurinensis hunc servavit ordinem, *quoniam auctoritas quoque in bellis administrandis multum atque in imperio militari valet*, quem ordinem necessario vulgato praeferendum esse, ex eo intelligitur, quod *bellis* mihil opponitur, in quo *auctoritas* aliquid valeat, sed *auctoritati* aliae opponuntur virtutes, quibus imperator plurimum possit. Itaque hoc certum est, *quoque* particulam post *auctoritas* esse ponendam. De loco, quo collocandum *multum* esset, dubitari posset, nisi ipse ille, quem suadent Erfurtensis et Taurinensis, elegantior esset, quam ut a librariis selectus posset videri.

C. XIV. §. 41. *Ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur.*

Iterum recte consentiunt Taur. et Erfurtensis, qui non *par infimis* sed *infimis par* scribunt, quo fit, ut, quae sibi opponuntur, *dignitate principibus* et *facilitate infimis* aptum locum teneant.

C. XIV. §. 42. *Fidem vero eius inter socios quantam existimari putatis, quam hostes omnium gentium sanctissimam iudicarint?*

Verba *inter socios quantam* male collocata esse, miror neminem dum sensisse. Verum ordinem servarunt Taur. et Erfurtensis, in quibus est *quantam inter socios.*

C. XV. §. 43. *Cum sciamus, homines — opinione non minus et fama, quam aliqua certa ratione commoveri.*

Iidem codices pro *certa ratione* habent *ratione certa*, quem meliorem esse ordinem homines docti facile mihi concedent.

C. XII. §. 35. *Omnes, qui ubique praedones fuerunt, partim capti interfectique sunt, partim uniu huius imperio ac potestati se dediderunt.*

Erfurtensis extrema verba hoc habet ordine: *uniu huius se imperio ac potestati dediderunt.*

C. XVI. §. 46. *Quod ex locis tam longinquis — omnes uni huic se dediderunt.*

Erfurtensis, Vertlensis, et Coloniensis, ex quibus

emendatus hic locus est, non *uni huic se*, quod aspere ad aures cadit, sed *huic se uni* habent.

Postremo etsi multi iam huius orationis loci, in quibus mendosa fuit aliorum codicum scriptura, ex codice Erf. sunt emendati, tamen restant, quorum vera scriptura in eo solo, ut videtur, reperitur.

C. I. §. 3. *Atque illud inprimis mihi laetandum iure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini potest.*

Pro *potest* habet *possit*, qui modus paene necessarius hic mihi videtur.

C. II. §. 4. *Bellum grave et periculosum vestris vectigalibus atque sociis a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate et Tigrane: quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur.*

Vitiosum *arbitratur* est, cum non ad alterutrum, sed ad utrumque, Tigranem et Mithridatem, pertineat. Itaque ex Erfurtense corrigendum est *arbitrantur*.

C. XIII. §. 38. *Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet: neque severus esse in iudicando, qui alios in se severos esse iudices non vult.*

Sic omnes praeter Graevium editores scripserunt, qui cum ex Erf. codice pro *se ipsum* scripsisset *se ipse*, in reprehensionem Ernestii incurrit, qui in nota ad h. locum haec monuit: „E Ms. Erf. *ipse* dedit Graevius, male. Est in oppositione, *alios — se*; ubi *ipsum* requiritur secundum consuetudinem accuratae latinitatis.“ Cuius sententiae licet omnes nunc viri docti accessisse videantur, cum Grammatici etiam nostri temporis, ut Ramshornius p. 556., hunc locum, quemadmodum vulgo scribitur, exempli instar in sententiam suam attulerint, tamen ego non dubito contrarium contendere.

Recte explicant viri docti elocutiones, qualis haec est: *mihi ipsi numquam satisfacio*, ita, ut *ipsi* oppositionis causa sit positum significetque *non aliis*. Itaque qui dicit: *mihi ipsi non satisfacio*, aliis verbis hoc dicit: *aliis quidem satisfacio, mihi vero non satisfacio*. Eodem modo nostro loco verba, *qui se ipsum non continet* necessario in hunc sensum dicta existimari debent: *qui alios quidem continet, se vero non continet*. Iam quae antecedunt, *neque enim potest*

dicatur causam reddant, cur non sit mirandum, tantopere Pompeium ceteris excellere, ideoque aptior existat membrorum nexus et cohaerentia, non dubito codicis Erfurtensis sequi auctoritatem.

C. XVI. §. 47. *Reliquum est, ut de felicitate, quam praestare de se ipso nemo potest, meminisse et commemorare de altero possumus, sicut aequum est homini de potestate deorum, timide et pauca dicamus.*

Solus Lambinus vitium, quo hic corruptus est locus, animadvertit, qui pro *homini* legendum *hominem* esse suspicatus est. Dativum enim nego a Cicerone potuisse scribi, cum *aequum est* ita ut valeret *decet* numquam sit cum casu dativo coniunctum. Cuius rei haec fuit causa, quod *aequum esse alicui* semper significavit, *mitem, benignum, et iustum erga aliquem esse.* Solus igitur veram servavit scripturam codex Erfurtensis, qui non *homini* sed *hominem* habet.

C. XX. §. 66. *Non dico hoc loco, maiores nostros — accommodasse; non dicam — esse deletas; non commemorabo etc.*

Postulat aequalitas membrorum, ut pro *dico* scribatur *dicam*, id quod in codice Erfurtense scriptum exstat.

Quam hactenus codicis Erfurtensis in hac oratione auctoritatem et praestantiam esse vidimus, eam qui imminui existimabunt, cum nihilominus plurimis eum interpretum additamentis foedatum contendimus, vehementer errabunt. Exstant enim haud pauci codices, quos quamquam certum est minime verbis insititiis vacare, tamen ad emendanda veterum scriptorum verba singula maxima esse auctoritate nemo negabit. Quid enim? Nonne codicem, quem scires ex libro, qui ipsa fuerit Ciceronis manu scriptus, diligentissime descriptum, sed additamentis alius hominis, finge Tironis, adauctum, multo maiore putares pretio esse, quam plurimos eiusdem scriptoris codices, qui per multorum librariorum manus ad te pervenerint? Istiusmodi autem codex quemadmodum ea tantum cautione usurpandus esset, ut ne haberemus pro Ciceronianis verbis reciperemusque, quae interpolatoris essent, ita in sequendo codice Erfurtense hoc tantum cavere debemus, ne sicubi addat, quae in aliis codicibus omittuntur, ea continuo Ciceronis esse verba censeamus. Hoc enim certum est, addita in eo verba nonnulla reperiri, quae a Ciceronis manu profecta esse prorsus sit incredibile.

Eiusmodi sunt C. IX. §. 25. v. 9. [illegible] additur post *Luculli*, C. X. §. [illegible] quod additur post *miles*, C. XI. §. 31. [illegible] additur post *singulis*, C. XV. §. 44. v. [illegible] additur post *tantum*, C. XV. §. 45. v. 5. [illegible] quod additur post *ipsum*, C. XXI. §. 61. v. [illegible] *vincia*, quod additur post *in ea*, et alia. [illegible] omnia, quae commemoravi, verba iure et [illegible] nestius aliique editores in textum recipere [illegible]. Sed cum in reliquis codicibus passim librariorum [illegible] gligentia genuina Ciceronis verba omissa sint, quae [illegible] vavit librarius codicis Erfurtensis, nonnunquam [illegible] addit, quae sensui videntur satis accommodata [illegible], perquam difficile iudicium est, utrum Ciceronis sint, quae habet, an interpretum verba. Talia sunt C. I. §. 1. v. 5. *adhuc*, quod post *voluntas* solus addit, C. II. §. 6. v. 5. *ad persequendi studium*, quae verba cum Coloniense post *inflammare* addit, C. III. §. 7. v. 4. *nimis*, quod cum Verdense et Hittorpiano ante *inveteravit* habet, C. V. §. 11. v. 4 *nostris*, quod solus post *naviculariis* addit, C. V. §. 12. v. 5. *quo tandem animo ferre debetis*, quae post *vocatur* solus addit, C. VII. §. 19. v. 16. *coniunctae*, quod cum Verdense et Hittorpiano ante *cum republica* habet, C. XI. §. 31. v. 1. *nunc*, quod solus ante *vero* addit, C. XV. §. 44. v. 12. *hominis*, quod cum Hittorpiano et Verdense post *unius* addit, et C. XXIV. §. 71. 5. *me*, quod ante *etiam* solus habet, quamquam in hoc postremo loco, qui totus ita se habet:

Tantumque abest, ut aliquam bonam gratiam mihi quaesisse videar, ut multas etiam simultates partim obscuras, partim apertas intelligam, mihi non necessarias, vobis non inutiles, suscepisse.

equidem nescio, an *me* pronomen ad sententiae integritatem necessarium sit. Sed nolo ego nunc diligentius anquirere, utrum adiectiones istae Ciceronis an interpretum sint. Satis me fecisse arbitrabor, si, qui denuo hanc orationem edituri sint, accuratius, quam antehac factum est, hanc artis criticae partem tractaverint. Eos autem monitos volo, nullum adhuc codicem esse collatum, qui interpolationibus prorsus vacuus esse dici queat. Sic enim omnes libri manu scripti C. VI. §. 15. v. 5. *pecora* habent, pro quo *pecua* scripsisse Ciceronem Servius ad Virg. Georg. L. III. v. 64. testatur. Praeterea haud pauci sunt loci,

in quibus omnes tuentur codices, quae ex ore Ciceronis venisse existimari non possunt.

PRO A. CAECINA.

Praestantissimis libris, per quos haec servata oratio est, sine ulla dubitatione codicem Erfurtensem accenseo. Cuius scripturas omnes si cognitas habuisset Orellius, magis etiam, quam factum est, pristinum huic orationi nitorem restituisset. Mire enim consentit cum palimpsesto Taurinensi, quocum etiam eundem verborum ordinem ubique fere servavit. Nec dubium est, quin ex pervetusto libro manu scripto descriptus sit. Quod ut credam, multae faciunt scripturae, quales sunt *reciperatores* pro *recuperatores*, *collocuntur* et *locuntur*, pro *colloquuntur* et *loquuntur*, *Aebuti* pro *Aebutii*, *inermus*, *inermi*, et *inermos* pro *inermis* et *inermes* et aliae. Ex multis illis locis, quos ex auctoritate codicis nostri restituendos etiamnunc arbitror, paucos nunc placet seligere, de quibus dicendum videtur, quoniam erunt fortasse, qui quam vera sit eius scriptura, primo adspectu non intelligant.

C. IX. §. 25. *A. Terentius, alter testis, non modo Aebutium, sed etiam se ipsum, arguit.*

Sic recentiores editores omnes praeter Graevium scripserunt, qui ex Erfurtensis codicis scriptura, pro *se ipsum* praebentis *saepissimi facinoris*, hanc novam elicuit *se ipsum facinoris*. Contra eum Gayatonius ad hunc locum monuit:

„Editio MCDLXXXIII. *saepissime arguit*. Hinc, et ex Erfurtense elatum aliquis putabit esse, *se pessimi facinoris arguit*. Ego vulgata, quam fuetur editio MCDLXXX, cum recentioribus contentus sum. Nimium hic unico Mso tribuitur."

Valde erravit vir magnus, quod unicum codicem a vulgata lectione discedere credidit. Discedunt enim omnes, qui diligenter collati sunt. Nam Britannici omnes, numero sex, pro *se ipsum* habent *saepissime*, habentque id sine dubio alii etiam codices, cum in editione illa MCDLXXXII. idem scriptum exstet, in quam ex codicum auctoritate venisse certum est. Contra prorsus ignoramus, in quo codice *se ipsum* sit scriptum, ita ut longe sit probabilius, librarii eam esse aut editoris antiqui quam codicum praestantiorum scripturam. Accedit, quod ne sensui quidem accommodata est. Debebat enim *se ipse arguit* scribi, eodem

modo, quo paullo post eodem de homine loquens Cicero dicit: *de eo dubito nunc, quomodo aut loquar, aut taceam, cum ipse hoc de se iuratus praedicet.* Vide quae dixi ad orationem Pompeianam C. XIII. §. 38. Itaque persuasum mihi est, Ciceronem scripsisse aut *se pessimi facinoris arguit*, aut tantum *se arguit*, ita ut verba *pessimi facinoris* ab interprete sint addita. Accidit autem non raro, ut ipsae etiam glossae tum corrumperentur, tum partim tantum a librariis reciperentur. Caeterum non suspicarer insititia esse verba illa, nisi codicem Erfurtensem passim interpretum additamentis in hac etiam oratione auctum scirem, quamquam hoc etiam verum est, in reliquis omnibus codicibus librariorum incuria nonnulla Ciceronis verba omissa esse, quae solus servavit Erfurtensis.

C. XII. §. 34. *Ut si qui me exire domo mea coegissent armis, haberem actionem; si qui introire prohibuissent, non haberem?*

Erfurtensis pro *coegissent* et *prohibuissent* habet *coegisset* et *prohibuisset*, quae vera sine dubio scriptura est, mutata ab indoctis librariis, qui ignari pronominis *qui* forma, pro quo *quis* saepissime posuerunt, numerum pluralem pronominis *quis* esse arbitrati sunt. Similiter formam *quae*, genus femininum pronominis *qui*, saepe, maxime in elocutione *si quae*, in *qua* mutaverunt librarii. Sic recte Erfurtensis C. XIII. §. 37. *alia si qua forte est, quae nos fugerit, dic, quae sit*, pro *si qua* habet *si quae*.

C. XII. §. 35. *Quando ita dicis, et ita constituis quaero, eo quid acturus sis.*

Sic in omnibus editionibus scriptum. Neque quemquam editorum particula *quando* offendit, quam causalem hic debere significatum habere in promptu est videre. Sed eum ipsum significatum cum et Grammatici nostri et Lexicographi particulae isti adtribuant, non est mirum, neminem hoc in loco offensum esse. Neque ipse audeo negare, a poetis Comicis et epicis *quando* nonnunquam causali notione esse usurpatam, aliter de Cicerone iudicans, quem semper *quando* sic usurpavisse contendo, ut temporis haberet notionem. Quam sententiam meam quibus libuerit impugnare, quos multos fore praevideo, locisque ex ipsius Ciceronis scriptis, maxime ex epistolis eius ad Diversos depromptis, in quibus manifesto particula ista causalem habeat significatum, prorsus relici posse videbitur, eos vehe-

menter monitos volo, ut in omnibus, quos contra me prolaturi sint, locis ante omnia praestantissimorum codicum scripturas consulant et perpendant. Quod si fecerint, non dubito, quin iudicio meo facile sint accessuri. Etenim in omnibus fere locis, ubi nunc *quando* scribitur, optimorum codicum auctoritate *quoniam* possum restituere. Paucissimi sunt, ubi librorum manu scriptorum auxilio destituto ex coniectura mihi *quoniam* particula reponenda est. In iis ipsis autem confido, fore ut diligentius collatis codicibus veram me restituisse scripturam intelligatur. Eiusmodi locus est, qui legitur De Fin. Bon. et Mal. Lib. V. C. XXIII. §. 67.:

Quando igitur inest in una virtute cura quaedam quasi foras spectans, aliosque appetens atque complectens, exsistit illud, ut amici — ut omnes denique (quando unam societatem hominum esse volumus) propter se expetendi sint.

Bis hic mea sententia Cicero *quoniam*, non *quando* posuit. Erat autem confusio utriusque particulae facillima, cum *quando* hoc compendio *qn̄*, *quoniam* modo hoc *qm̄*, modo hoc *quo* solita sit indicari.

Ad nostrum locum ut redeam, monendum est, non Erfurtensem tantum codicem praebere particulam *quoniam*, quam ego necessariam hic credo, sed aliis etiam in codicibus exstare, id quod ego ex scripturis quatuor codicum Britannicorum certissime colligo. Qui quamquam ipsam illam non habent particulam, tamen quod scribunt partim *quomodo*, partim *cum*, quae particulae alienae ab hoc loco sunt, ostendunt, in exemplaribus, unde orti sunt, scriptum exstitisse *quō*. Id autem ab aliis in *quomodo*, quae particula, nisi egregie fallor, hoc compendio *quō* scribitur, ab aliis, qui compendio *quo* significari antiquam particulae formam *quom*, pro qua recentioris aevi librarii plerumque *cum* scripserunt, arbitrati sunt, in *cum* mutatum est. Atque has confusiones revera saepissime factas esse, satis superque ea probabunt, quae in notis ad epistolas ad Diversos exposituros sum.

C. XIII. §. 37. *Tu solus prohibitus et a tuis aedibus vi atque armis perterritus.*

Sic in editionibus recentioribus omnibus scriptum. Lambinus tamen, quod valde miror Orellium neglexisse, hic quoque solus veram restituit manum, pro

perterritus scribens *proterritus*, id quod codex etiam Erfurtensis habet. Alienum autem prorsus ab hoc loco verbum *perterrere* est, quod nunquam *propellendi, abigendive* notionem habet, sed *permovere metu* tantum significat, aptissimum contra *proterrere* est, cuius verbi ea vis est, ut *in fugam coniicere terrore* denotet. Sic Terent. Heaut. III, 1, 57. *proterruisti hinc me.* Videant etiam, quorum codicum copia est, ne C. IX. §. 24. huius orationis: *ferro — te reieci atque perterrui*, ipsi libri *proterrui* habeant: quamquam illo in loco, cum *reieci* praecedat, non tam necessarium est *proterrere*, quam hic est.

PRO P. SULLA.

Dolendum, quod magna pars orationis, ab initio usque ad C. XXIX. §. 81., resectis foliis, quibus continebatur, periit. Petri tamen Suffridi temporibus adhuc integra videtur oratio fuisse. Hinc in initio etiam orationis a Grutero passim codicis Thuringici, id est Erfurtensis, mentio iniicitur. In ea autem, quae servata est, parte verborum collocatione maxime ab editione Ernestiana discedit, ita tamen, ut verum putem verborum ordinem, qui in codice Erfurtense est. Itaque vacuus etiam vitiis est, quae male collocatis verbis ab librariis admitti consueverunt. Legitur nunc C. XXXI. §. 86.:

Quamobrem vos, dii patrii ac penates, qui huic urbi atque huic reipublicae praesidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem, populumque Romanum, qui haec tecta atque templa — servastis etc.

Contra recte codex Erf. pro *populumque* habet *qui populum.* Idem egregiam Lambini coniecturam, qui C. XXIX. §. 82. pro *attestante memoria omnium* scribendum putavit, quo ducunt aliorum etiam codicum scripturae, *ad testandam memoriam omnium*, confirmat, meliorem tamen hunc ordinem verborum habens *ad testandam omnium memoriam.*

PRO GN. PLANCIO.

Singulari auctoritate et praestantia in hac oratione codicem Erfurtensem esse, Garatonius iam et Orellius ex variis eius lectionibus, quas Graevius commemoravit, intellexerunt. Maiore etiam esse vidissent, si omnes, quas ego nunc enotavi, lectiones compertas habuissent. Mira enim negligentia et socordia optimae

et verissimas scripturas prorsus silentio transiit Graevius, ita ut, nisi ante aliquot annos codicis Bavarici (Tegernseeensis), quocum mire consentit Erfurtensis, lectiones variantes cum viris doctis communicasset Garatonius, easque ipsas plerisque in locis Orellius pro vulgatis iam recepisset, minimum ducentis in locis Erfurtensis auctoritate oratio illa emendari potuisset. Nihilominus multos etiamnunc locos ope codicis nostri ego mox restituam, qui hoc ipso anno hanc orationem, commentario critico et exegetico instructam, editurus sum. In qua editione diligentius etiam codicis Erfurtensis quanta sit praestantia et auctoritas exponetur. Nunc hoc tantum adiiciendum mihi videtur, etiam interpungendi rationem, cum optima esset in codice nostro, nonnunquam a me in variis lectionibus esse commemoratam. Denique ne erroris incuser, qui alias nonnunquam ex eo enotaverim scripturas quam Graevius commemoravit, monendum est, Graevium cum alibi tum in hac etiam oratione aut fugitivo oculo inspexisse codicem, aut compendia, quibus usus librarius est, quid significarent non intellexisse, id quod mihi quidem probabilius videtur. Sic C. IV. §. 9. v. 11. *denique, si iudicat* Graevius Erfurtensem retulit habere *etsi* pro *si*. At non habet *etsi*, sed cum Bavarico *etiamsi*, hoc scriptum compendio *et̄ si*, id est lineola super *et* copulam posita. Ea autem lineola pro *iam* particula additur. Porro C. XLI. §. 98. v. 5. *cum tantum abessent aliquot dierum* Graevius, cum vulgo pro *tantum* scriberetur *tum*, Erfurtensem dixit *tantum* habere. At non habet *tantum*, sed *tamen* cum Bavarico, hoc scriptum compendio *tam̄*. Duplici autem compendio, quod Graevium videtur fugisse, librarii pro *tamen* particula usi sunt, modo hoc *tn̄*, modo hoc *tam̄*. Compendium autem, quo *tantum* significatur, hoc est *tm̄*. Ex quibus compendiis intelligitur, quam facile particulae *tantum*, *tamen*, et *tum*, quae postrema sic scribi solebat *tū*, a librariis confundi potuerint.

PRO T. ANNIO MILONE.

Errat Orellius, qui in nota critica huic orationi praefixa codicum, qui hanc servarunt orationem, pretium et auctoritatem ita constituit, ut primo loco Ba-

varicum, secundo Coloniensem, tertio alterum Fabricii (Saxonicum), et quarto demum Erfurtensem ponat. Qui tamen error eo magis ignoscendus Orellio est, quo minus ille, id quod Graevii negligentia factum, codicis Erfurtensis praestantiam cognitam potuit habere, quae tanta est, ut nihil plane Bavarico auctoritate cedat. Quid, quod in Erfurtense scripturae reperiuntur, quae faciunt, ut praestantior etiam Bavarico videri debeat, nisi forte, quae sane mea est suspicio, Harlesius, qui codicem Bavaricum in usum Garatonii contulit, quasdam eius lectiones variantes adnotare omisit, aut Garatonius cum viris doctis communicare neglexit. Certe quae ex Bavarico sunt enotatae scripturae verae et genuinae, eaedem omnes in Erfurtense reperiuntur. Sed discedit etiam a vulgatis editionibus et recte quidem Erfurtensis, ubi nulla Bavarici mentio fit. Laudandus autem Orellius est, quod plurimis in locis secus quam priores editores, Bavarici et Erfurtensis auctoritatem secutus est, verborum etiam ordinem saepe ad fidem Bavarici libri, quocum nunc Erfurtensem videbit consentire, optime restituens. Nihilominus futuro editori magna locorum copia relicta est, qui ex praestantissimorum codicum, Erfurtensis maxime, auctoritate emendari debent.

Liber autem Erfurtensis quin ex vetustissimo descriptus sit exemplari, dubitare non sinunt permultae eius scripturae, quae summam antiquitatem produnt. Puto etiam hoc ex nonnullis eius lectionibus apparere, exemplar illud, unde ortus est, sic fuisse scriptum, ut litterae uno nexu essent positae, nondum in verba separatae. Hinc scriptum C. XXVII. §. 72. *qui animis* pro *quia nimis*, C. X. §. 27. *quae ius* pro *qua eius*, C. XIX. §. 50. *spoliationibus* pro *spoliati bonis*, ibidem *denique erea* pro *denique rea*, C. XIX. §. 49. *innocentem* pro *in noctem* et C. XX. §. 54. *inae* pro *in ea*.

Summam antiquitatem produnt hae scripturae: *caecili, horati, lanuvi, pompei, di* pro vulgaribus *Caecilii, Horatii, Lanuvii, Pompeii*, et *dii*, *cestio* pro *Sextio, inlata* et *inlaturus* pro *illata* et *illaturus*, *inpune* pro *impune*, *adproperaret* et *adquierunt* pro *approperaret* et *acquierunt*, *coiceret* pro *coniceret*, *paenitor* (id est *poenitor*) et *paeniendum* (id est *poeniendum*) pro *punitor* et *puniendum*, *receptor* pro *receptator*, *temptare* pro *tentare* et aliae.

Dativum etiam pronominis *qui* in antiquo isto, unde Erfurtensis ortus est, exemplari non *cui*, sed *quoi* fuisse formatum, inde coniicio, quod C. XXVII. §. 75. pro *cui viro* habet *quo viro*. Miror autem quid sit, quod recentiores editores, quamvis ad emendanda antiquitatis monumenta vetustissimos codices optimos esse duces intelligant, tamen scribendi genus, quod in iisdem offendimus, recentiorum codicum scripturis postponant. Atque, ut de una nunc forma *di* dicam, pro qua vulgo *dii* scribitur, equidem vix dubito, quin vulgari etiam sermone a Romanis casus ille numeri pluralis una syllaba pronuntiatus sit. Hinc enim tantummodo intelligitur, quomodo Diomedes ed. Putsch. p. 464. contendere potuerit, Ciceronem integro versu iambico senario orationem Pisonianam inchoasse ita: *Proh dii immortales, quis hic illuxit dies!* Nam si vulgari sermone duabus syllabis *dii* fuisset pronuntiatum, metrum senarii iambici sibi non constaret, nec Ciceroni versum hic excidisse dici posset.

Placet iam de quibusdam huius orationis locis exponere, in quibus codicis Erfurtensis scriptura tum iniuria reiecta est, tum, quoniam ignota adhuc erat, recipi quidem nondum potuit, sed in posterum necessario recipienda est.

C. II. §. 5. *Sin illius insidiae clariores hac luce fuerint, tum denique obsecrabo obtestaborque vos, iudices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque vitam ut inpune liceat defendere.*

Ut saepe ambiguum sit, quo ordine singula verba a Cicerone collocata sint, tamen hoc loco dubitari nullo pacto potest, quin verbum *vitam* statim post *relinquatur*, quo loco Erfurtensis habet, Cicero posuerit.

C. III. §. 8. *Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui cum a C. Carbone, tribuno plebis, seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, respondit, iure caesum videri.*

Pro *respondit* Bavaricus et Erfurtensis *responderit* habent, quem modum sententia loci flagitat. Constat enim, si referatur oratio vel cogitatum alicuius, in interiectione, quae per pronomen relativum reliquae, quae refertur, orationi adiungitur, necessarium esse modum subiunctivum, si interiectio illa contineat id, quod dixit vel credidit is, cuius oratio refertur, indicativum autem tum tantum, si sententiam eius non-

tineat, qui alius orationem refert. Iam vero nostro loco non potuit iudicum, quos alloquitur Cicero, oratio vel sententia haec esse: *demens fuit P. Africanus*, et Ciceronis additamentum: *qui cum — respondit, iure caesum videri*, sed necessario debebat haec eorum sententia fingi: *demens fuit P. Africanus, qui* (id est *eo, quod*) *cum — sentiret, respondit* etc. Ea cum referatur a Cicerone, plane necessarius modus subiunctivus est. Neque in hunc locum cadit, quod alibi factum videmus, ut, qui referat alius orationem, istiusmodi interiectionem, quamvis pars sit orationis eius, quae refertur, tamen suam faciat sententiam, ideoque modum indicativum ponat. Cuiusmodi locus est, qui legitur in oratione Planciana C. XXXVIII. §. 93.:

Quod si horum ego nihil cogito, et idem sum in republica, qui fui semper, tamenne libertatem requires meam, quam tu ponis in eo, si semper cum iis, quibuscum aliquando contendimus, depugnemus?

Hic membrum *quibuscum al. contendimus* necessario pars erat orationis Laterensis, quae in directam mutata haec foret: *liber es, si cum iis, quibuscum aliquando contendisti, semper depugnas*, ideoque debebat ex vulgari regula *contenderimus* dici, sed cum Laterensis verba sua fecerit Cicero, recte potuit indicativum ponere. At hoc certa tantum conditione fieri licet, ut, quae alius sint verba, ea sic afferamus, tanquam nostra sint. Quod ut recte factum in illo Plancianae orationis loco, ita non potuit hoc, quo de agitur, loco fieri.

C. XXVI. §. 69. *Vide quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, quantae infidelitates in amicis, quam ad tempus aptae simulationes, quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates.*

Sic nunc scribitur. Sed vidit Garatonius rectissime, pro *amicis* legendum esse, quod solus Lambinus pro varietate protulit, *amicitiis*. Id habet Erfurtensis.

Caeterum haec quoque oratio multis corrupta interpolationibus est, quarum nonnullas recentiores editores exterminarunt, plurimas vero tamquam Ciceronis verba intactas reliquerunt. A plerisque vacuus est Erfurtensis, Bavaricus, aliique libri, habet tamen alias quasdam Erfurtensis, quibus immunes alii videntur libri esse. Sic C. XV. §. 39. *septem praeto-*

res, octo tribuni plebis, illius adversarii, ante *adversarii* habet *clodii.*

Nolo nunc omnes commemorare locos, in quibus interpretum verba Ciceronianis inserta sunt, sed eorum quosdam non erit inutile tractare, qui receptis interpretum additamentis perversum sensum praebent aut orationis vim infringunt.

C. I. §. 1. *Tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui, quocumque inciderunt, veterem consuetudinem fori, et pristinum morem iudiciorum requirunt.*

Verbum *veterem*, quod non inutile tantum, sed alienum etiam est, omittunt Erfurtensis, Bavaricus, et, monente Garatonio, aliquot Fabii codices in iisque Barberinus. Quorum codicum auctoritas confirmatur egregie a Quinctiliano, qui Inst. Or. L. XI. C. III. §. 50. p. 367. ed. Spald. hunc locum afferens ipsum illud verbum omittit. In optimis enim Quinctiliani codicibus desideratur, recteque omissum a Spaldingio est, qui, in quibus codicibus additum reperitur, in eos ex Ciceronis interpolatis codicibus transiisse vidit.

C. XIV. §. 37. *Haec* (sica P. Clodii) *intentata nobis est; huic ego vos obiici pro me non sum passus; haec insidiata Pompeio est; haec istam Appiam, monumentum sui nominis, nece Papirii cruentavit; haec, haec eadem longo intervallo conversa rursus est in me; nuper quidem, ut scitis, me ad Regiam paene confecit.*

Permirum est, neminem editorum in extremo huius periodi membro *nuper — confecit* offensum esse, quod sic antecedentibus adiungitur, ut totius periodi vim prorsus infringat et tollat. Nihil itaque certius, quam verbum *est* post *rursus* positum, quod Erfurtensis omittit, ab interprete esse additum. Eo autem deleto vide quanta vis orationi restituatur, cum ita nunc verba cohaereant: *haec, haec eadem, longo intervallo conversa rursus in me, nuper quidem, ut scitis, me ad Regiam paene confecit.* Nihil autem saepius ab interpretibus huic orationi insertum quam verbum *esse.* Sic ipse Erf. male C. II. §. 6. v. 5. *esse* ante *factas* addit, C. IX. §. 26. v. 8. idem ante *periturum*, C. XI. §. 30. v. 2. *est* post *superatus*, C. XIII. §. 35. v. 12. *fuisse* post *iustum*, quod, licet alii etiam codices additum habeant, male tamen receptum ab Orellio est, C. XVI. §. 42. v. 4. *sit* post *sollicita.*

Omittit tamen saepius verbum illud Erfurtensis, ubi in aliis codicibus ab interpretibus additum exstat.

C. XXII. §. 59. *Sed tamen maiores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum, et dominis morte ipsa tristius.*

Unus Erfurtensis omittit verba *de servo*, quae cum plane sint inutilia, quandoquidem *in dominum quaeri* si dicitur, sponte intelligitur de servis fieri quaestionem debere, ego nullus dubito, quin a Cicerone non sint addita.

Simul autem aliud mihi hoc loco verbum eiiciendum videtur, quod, licet omnes habeant codices, tamen tam diverse scriptum praebent, ut vel propterea maximopere suspectum fiat. Dico verbum *dominis*, pro quo Erfurtensis cum reliquis paene omnibus codicibus habet *domini*, unus Britannicus C *dominum*. Scriptura *dominis* in uno, nisi fallor, Coloniense reperta ab omnibus inde a Grutero editoribus recepta est. Quae ut aptior sit altera, *domini*, tamen displicet eo, quod cum numero singulari in priore membro dictum sit *in dominum*, consentaneum erat, hic quoque singulari numero *domino* dici. Neque dubito quin Cicero, si addidisset verbum illud, eo numero usus esset. Verum posuisset ille non ad vocem *morte*, sed statim post *indignum*, ad quod verbum quemadmodum subaudiri voluit nomen *domini*, ita nihil est probabilius, quam omisisse eum etiam in sequenti membro.

Magis etiam duobus aliis locis interpretum additamenta, per omnes codices propagata, sententiam loci pessumdant.

C. I. §. 2. *Quae si opposita Miloni putarem, cederem tempori, iudices, nec inter tantam vim armorum existimarem esse orationi locum. Sed me recreat et reficit Gn. Pompeii — consilium, qui profecto nec iustitiae suae putaret esse, quem reum sententiis iudicum tradidisset, eundem telis militum dedere, nec sapientiae, temeritatem multitudinis auctoritate publica armare.*

Qui scit, quid significet *tempori cedere*, Ciceronem hoc loco non potuisse *cederem tempori* scribere, facile intelliget. Hoc enim dicit orator, se si praesidia illa et arma opposita Miloni putaret, ab hoc loco discessurum, nec orationem habiturum esse. Itaque aliena est vox *tempori*, quae suspecta iam debebat editoribus

esse, quod nonnulli codices, Bavaricus et duo Fabriciani, *temporibus* scribunt. Caeterum idem verbum ab interpretibus additum verbo *cedentem* in oratione Planciana C. X. §. 26. *quod me vel vi pulsum, vel ratione cedentem receperit*, ubi recte iam a plerisque editoribus optimorum codicum auctoritate additamentum istud eiectum est.

C. XXIII. §. 63. *Sive enim illud animo irato ac percito fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum, arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putasse, ut aequo animo patria careret, cum sanguine inimici explesset odium suum; sive etiam illius morte patriam liberare voluisset, non dubitaturum fortem virum, quin, cum suo periculo salutem populo Romano attulisset, cederet aequo animo legibus, secum auferret gloriam sempiternam, nobis haec fruenda relinqueret, quae ipse servasset.*

Iam Ernestius ad hunc locum monuit: „Cur *legibus* hoc loco? sequentia ostendunt, *cedere* esse abire, ut saepe apud Ciceronem, ut infra C. XXV. extr. ubi et *patria* additur, et C. XXXIV. ubi est: *ego cedam atque abibo.*“

Contra Ernestium Garatonius, cui accessit Orellius, ita disputavit:

„Gesnerus in Thes. h. v. n. 4. ita hoc [*cederet legibus*] explicat: *subiret poenam legibus statutam potius, quam iis repugnaret.* At Ernestus vocem firmissimam *legibus* tamquam spuriam uncis inclusit. Quid, inquit, *legibus* hoc loco? idem, quod alibi tempori, quod semper ei rei, quae maxime adversaria est, cum ei cedere aliquem dicimus [?]. An etenim dubitandum, quin homicidium eiusmodi voluntarium legibus vindicaretur? Si leges removeas, quo *suo periculo* Milo Clodium interfecisset? quae iam causa supererat, cur sponte in exsilium abiret? Nam et *periculum* hic, ut supra c. 16. et infra c. 27. non ipsum facti discrimen adtingit, sed in consequens tempus cadit: et *cedere legibus* non is dicitur, qui damnatus est, verum qui, ut in se valeant, ipse facit, praesertim si laxamenti aliquid meritus videatur, idque ut obtineat, possit aliqua ratione contendere. Confer omnino Cortium ad Sallust. Cat. Exc. IV., cuius fere ad praescriptum Gesnerus hunc locum explicavit.“

Nihil quicquam his verbis continetur, quo Ernestii refutata sententia sit, cuius notam ad h. locum si diligentius perlegisset Garatonius, propterea Ernestio

solum verbum *cederet* omissa voce *legibus* necessarium esse visum intellexisset, quod verba sequentia, *secum auferret gloriam semp.*, et *nobis haec fruenda relinqueret* postularent, ut in proxime antecedente membro de *abitu*, neque vero de *obtemperatione legibus* sermo esset. Nam elocutionem *legibus cedere*, id quod putavit Garatonius, per se minime suspectam habuit Ernestius, qui idem hoc perspexisse existimandus est, quid verba *periculo suo* significarent. Itaque iniuria qui Ernestium vocem *legibus* spuriam habuisse probare vult, necesse est doceat, in membro, quo exstat vox suspecta, non opus esse, ut simpliciter de abitu agatur, verum aptam esse commemorationem obtemperationis legibus praestandae. Eam autem commemorationem primum nego aptam esse, quod, ut monitum iam ab Ernestio, sequuntur verba *secum auferret* et *relinqueret*, quae postulant, ut in antecedentibus lubenter dicatur Milo a patria cessurus esse. Neque vero obiici potest, eundem sensum membro illi addita voce *legibus* subesse. Nam etsi *cederet legibus*, quod rectius Gesnerus quam Garatonius explanavit, eo rediret, ut significaret *in exsilium ire*, tamen reprehendendus Cicero esset, si ita scripsisset, quod, quae maxime requiritur sententia disertis verbis enuntiata, *patria aequo animo cessurum esse Milonem*, eam eliciendam lectoribus reliquisset ex alia, quam enuntiare non inutile tantum, sed alienum etiam erat. Inutile autem erat, quia, qui caede commissa patria cedit, is sponte intelligitur legibus cedere, id est, sponte subire poenam legibus statutam. Alienum autem, quia praecedunt verba, *non dubitaturum fortem virum*, in quibus adiectivum *fortis* aperte eo sensu dictum est, ut animus significetur promptus et paratus ad mala gravissima subeunda mortemque adeo oppetendam. Legibus autem qui cedere, id est poenam legibus constitutam subire potius quam iis repugnare qui dicitur, ei minime fortis laus animi, sed obedientis ac non contumacis convenit. Contra aptissime tribuitur adiectivum illud ei, qui aequo animo patria cedit, ad quam calamitatem perferendam nemo non animo opus esse forti intelligit.

Denique totius huius loci sententia vocem *legibus* ut expellamus admonet. Continent enim haec, quae apposui, verba explicationem eorum, quae proxime

antecedunt: *negabant* [inimici Milonis] *eum Romam esse rediturum.* Negabant autem isti, referente Cicerone, Milonem rediturum esse, quod, si sua causa, id est, odii explendi causa, P. Clodium interfecisset, aequo animo eum patria cariturum arbitrabantur, contentum eo, quod odium explesset; sin patriae causa occidisset, non minus aequo animo eum, qui sic servasset populum R., ut nihil curarit propositam exsilii poenam, cessurum esse, contentum gloria sempiterna, quam secum auferret.

Tota igitur sententia in brevius contracta haec est: Negabant inimici Milonis, Romam eum esse rediturum, quod aequo animo patria eum cariturum arbitrabantur, sive sua causa, sive populi Romani gratia P. Clodium interfecisset. Itaque membrum *aequo animo cederet* in eundem sensum atque illud, quod antecedit, *ut aequo animo patria careret*, dictum oportet, licet singula verba ornatus causa variata sint.

Accedit autem non leve pondus sententiae nostrae, insititiam vocem *legibus* esse, ex ipsius codicis Erfurtensis scriptura, qui, quamquam cum reliquis libris vocem istam addit, tamen non *cederet*, sed *secederet* habet, quod verbum si est a Cicerone scriptum, manifestum est, non posse vocem illam locum habere. Esse autem scriptum, propterea fit probabile, quod *secederet* facilius librariorum errore in *cederet*, quam *cederet* in *secederet* potuit mutari. Neque adversatur huic scripturae addita vox *legibus*, quae quamvis ab iis profecta debeat esse, qui in exemplari suo *cederet* habebant, tamen minime mirum est, receptam etiam esse in eos codices, in quibus genuina scriptura *secederet* servata erat, cum id maxime videamus librarios studuisse, ne quicquam omitteretur, quod Ciceronis videbatur esse, licet ineptissima glossa esset. Aptissime autem *secedere* dici eum, qui in solitudinem, in exsilium abeat, non est quod exemplis comprobem.

C. XXVI. §. 69. *Erit, erit illud profecto tempus, et illucescet ille aliquando dies, cum tu salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis, qui quam crebro accidat, experti debemus scire, et amicissimi benivolentiam et gravissimi hominis fidem, et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideras.*

Nolo hic de verbo *salutaribus* disputare, quod sive genuinum, sive mutandum in *salvis* sit, sententiam loci hanc patet debere esse: erit tempus, quo salvis rebus, quae te privatum attinent, vel quo salvis rebus privatis etc. Opponuntur enim *rebus tuis*, id est rebus privatis, *communia tempora*, id est res publicae. Verba autem *salvis rebus* cum nihil aliud significare possint, nisi integris, non mutatis rebus tuis, prorsus alienum, adeoque absurdum verbum *immutatis* est, quod plane pugnet cum antecedentibus. Negat enim Cicero Gn. Pompeii res privatas unquam mutatum iri, sed motum communium temporum futurum praedicit, quo Pompeius Caesaris magnitudinem animi sit desideraturus. Iam cum ipsum illud verbum praestantissimi libri, Erfurtensis et Bavaricus, quibus Barberinus, codex Garatonii tresque Britannici accedunt, omittant, mirum est, ab editoribus nondum eiectum esse. Caeterum minime putandum est eo loco, quo exstat in editionibus, ab interprete esse positum, quem certum potius est apposuisse, ut explicaret verba *salutaribus rebus tuis*, eoque cepisse sensu, quo saepius participium *immutatus* usurpatum est, ut notaret *non mutatis*. Verba autem insititia, margini plerumque adscripta, saepissime alienum in locum illata esse, res est notissima. Sic ipse Erfurtensis ante *communium* hoc loco *in* praepositionem addit, quae dubitari non potest, quin cuipiam ante verbum *motu* addenda sit visa.

Antequam ab hoc oratione discedam, duo restant monenda. Primum hoc est, quod solus, ut videtur, codex Erfurtensis C. XIII. §. 33. inter verba *debeo* et *P. Clodii* aliquot verba excidisse admonuit. Superscriptum enim inter utrumque verbum *deest*. Deinde argumentum, quod initio huius orationis margini scriptum una cum lectionum varietate typis excudendum curavimus, reperitur etiam in codice Laurentiano VIII. Plut. XLVIII. Cfr. Bandin. T. II. p. 434. Qui tamen codex, a Lagomarsinio collatus et numero 8. insignitus, minime ex eodem fonte atque Erfurtensis profectus censeri potest.

DE LEGE AGRARIA ORR. I. II. III.

In his quoque orationibus magna auctoritate codex Erfurtensis est, quamquam in extrema parte orationis secundae multis maculatus vitiis est. Scribit in secunda illa oratione antiquo more *servili*, *pompei*

pro *Servilii* et *Pompeii*, *temptare* pro *tentare*, bis *plebes* pro *plebs*, *offici* pro *officii*, et semel C. XXXVI. §. 99. v. 3. *quoius* pro *cuius*. Similiter Or. III. C. II. §. 6. *Nam Valeria Corneliisque legibus eripitur, cum datur*, cum quidam codices pro *cum* habeant *cui*, Erfurtensis *civi*, in antiquo exemplari *quoi* scriptum puto exstitisse. Ex qua scriptura facillime *quom*, quod recentioris aevi librarii sedulo in *cum* mutarunt, et *cui*, et *civi* oriri potuerunt. Porro solus Erfurtensis Or. I. C. IX. §. 27. pro *Quodsi quis vestrum* recte scribit *quodsi qui vestrum*, eodemque modo Or. II. C. XVII. §. 46. recte habet *si qui est konos singularis*, pro quo nunc *si quis est* etc. male scribitur. Aliis in locis optimas aliorum librorum scripturas confirmat, quas futurus harum orationum editor non recusabit recipere, licet plurimi libri alias praebeant lectiones. Ita miror Orellium Or. II. C. III. §. 6., qui locus vulgo sic scribitur:

Accedit etiam illo mihi summus labor ac difficillima ratio consulatus gerendi, quod non eadem, qua superioribus consulibus, lege et conditione utendum esse decrevi.

cum ingeniose et vere pro *superioribus consulibus* ex coniectura *superiores consules* restituisset, tamen non recepisse pronomen *mihi*, quod post *eadem* codex Pith., quocum facit Erfurtensis, rectissime addit. Ipsum autem illud pronomen fecit, ut, qui sequebatur, casus nominativus *superiores consules*, cum pronomini *mihi* oppositus videretur, in dativum mutatus sit. Nam si abfuisset *mihi*, non intelligitur, quomodo sequens nominativus in dativum potuerit commutari. Caeterum facillime post *eadem* pronomen *mihi* excidere potuit, quod hoc compendio *m* scribi esse solitum constet.

Praestat porro codex Erfurtensis reliquis codicibus eo, quod multis in locis verbis insititiis vacuus est. Nam ut omittat, quod raro fit, quae omitti non debebant, tamen qui didicit, qualia sint, quae librariorum incuria excidere consueverint, pleraque, quae desiderantur in eo, primo aspectu spuria esse intelligat, necesse est. Scribitur nunc

Or. I. C. I. §. 2. *Quaerit pecuniam: videlicet excogitabit aliquid atque afferet: nam superioribus capitibus dignitas populi R. violabatur; nomen imperii in commune odium orbis terrae vocabatur;*

urbes pacatae, agri sociorum, regum status decemviris donabantur; nunc praesens, certa, pecunia numerata quaeritur.

Faciunt editores cum Turnebo, qui extrema verba sic explicavit: „*Praesens* pecunia, quae non futura est, aut in diem debebitur atque solvetur, sed repraesentabitur; *certa*, cuius definita summa est, ut ex Iurisconsultorum titulo, *si certum petatur*, intelligunt; *numerata*, quae non est in nominibus, ut in Topicis: *Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ei pecunia, quae numerata domi relicta est, non esse legata.* Paullo post: *Non si vir uxori legavit omne argentum, quod suum est, iccirco, quae in nominibus fuerunt, legata sunt: multum enim differt, in arcane positum sit argentum an in tabulis debeatur.* Et in Verrem: *pecuniam sibi esse in nominibus, numeratam in praesentia non habere.*"

Quae neque per se usquequaque vera sunt, neque tollunt tautologiam, quae est in verbis *praesens, certa*, et *numerata*. Ac primum quidem nihili est discrimen, quod inter *praesentem* et *numeratam* pecuniam intercedere statuit. Quae verba si sunt diverso significatu usurpata, quod nescio an nullo antiquorum scriptorum testimonio comprobari possit, hoc necesse est a se discreparint, ut *numerata* diceretur pecunia, quae sic esset recensita et collecta, ut summam eius is, penes quem esset, cognitam haberet, nobis *gezähltes*, vel *aufgezähltes Geld*, contra *praesens*, quam quis praesto haberet apud se positam, ita tamen, ut summa ei incognita esse posset, nobis *baares Geld*. Discrimen igitur hoc fuisset, quod *praesentis* pecuniae summa incognita potuisset esse, *numeratae* cognita fuisset. Utrique autem verbo hoc et debuit esse et fuit commune, ut ex omnibus, in quibus eorum mentio fit, locis intelligitur, quod cum *praesens* tum *numerata* pecunia dicebatur, quae non in nominibus erat, sed praesto vel in arca posita, ita ut statim solvi posset.

Sic pecunia *numerata* in loco illo ex Topicis petito ab ipso Cicerone sic explicatur, ut dicatur primum, quae *domi est*, deinde, quae *non in nominibus est*, denique quae *non in tabulis debetur, sed in arca posita est*, nobis *baares Geld*.

Eodem sensu porro in loco Verrino dictum est, *pecuniam sibi esse in nominibus, numeratam* (*baar*) *in praesentia non habere.*

[illegible] Fuc [illegible]

[illegible] tempo-

[illegible]

[illegible] rund

[illegible]

[illegible] sic

[illegible] DC

[illegible] recesse

[illegible] pecuniae

[illegible] vel

[illegible] emere

[illegible] maluisse

[illegible] possessionis,

[illegible] habere,

[illegible] pecunia

[illegible]

[illegible] expensum

[illegible]

[illegible] Prov. 19.

[illegible] levent,

[illegible] virgines,

[illegible] argento.

Idem Menaecum. V, 9, 97.

[illegible] praesenti pecunia.

[illegible] locum, quo de agitur, ut reverta-

[illegible] praesentem pecuniam esse debere, quae

[illegible] detur, nec per attributionem solvatur, *baares*

[illegible] certam autem, cuius summa ab iis ipsis, qui

[illegible] definita sit, *eine bestimmte Summe Geldes.*

ut dicitur *certa dies* pro constituta, definita die. Iam vero quid tandem *numerata* pecunia significare potest, quod non duobus verbis *praesente* et *certa* pecunia indicatum iam sit? Nam solum, quod inter *praesentem* et *numeratam* pecuniam posse intercedere diximus, discrimen minime hic tautologiam tollit, cum adiectivum *certa* id ipsum significet, quo *numerata* pecunia a *praesente* differre dici posset. Itaque nihil verius puto, quam adiectivum *numerata* vocis *praesens* explicandae causa ab interprete superscriptum et a librariis receptum esse, praesertim cum in codice Erfurtense ipsum illud verbum non Ciceronianae orationi insertum, sed super *pecunia* positum reperiatur. Accedit, quod, si Cicero tria illa verba sic ut diversum haberent significatum coniungere voluisset, minime dubium est, quin hoc ordine fuerit positurus: *nunc praesens, certa, numerata pecunia quaeritur.*

Una restat ratio, qua cuipiam retinendum adiectivum *numerata* videri potest, ut non oppositum putetur verbis antecedentibus *praesens* et *certa*, sed ut coniungatur potius cum verbo *quaeritur*, sensusque loci hic esse existimetur: *nunc postulatur, ut praesens, certa pecunia numeretur*, nobis: *ietzt wird baares, bestimmtes Geld ausgezahlt verlangt.* Quam dicendi rationem qui tolerari posse censebit, is per me licet vocem *numerata* retineat.

Magis ex aliis duobus orationis primae in Rullum locis intelligitur, codicem Erfurtensem minus reliquis codicibus interpolatum esse.

C. III. §. 7. *Hic permittit sua lege decemviris, ut in quibus commodum sit tenebris, ut in qua velint solitudine, bona populi Romani possint divendere.*

Pro verbis *possint divendere* Erfurtensis habet *vendant*, quam ego eo magis genuinam puto scripturam esse, quo minus dici potuisse *permitto tibi, ut hoc facere possis* video.

C. VII. §. 22. *Cum omni argento et auro Capuam et urbes circa Capuam occuparint.*

Pro *circa Capuam* habet *circa eam.*

Itaque non dubito in Oratione secunda codice Erfurtense auctore hos locos verbis spuriis liberare.

C. VI. §. 16. *Quae cum exposuero, si falsa vobis videbuntur esse, sequar auctoritatem vestram, mutabo meam sententiam; sin insidias fieri libertati*

vestrae simulatione largitionis intelligetis; nolitote dubitare etc.

Omittit *simulatione largitionis.*

C. VII. §. 19. *Domitius, quod per caerimonias populi fieri non poterat, ratione assecutus est, ut id, quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret, hic, quod populi proprium semper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutavit, quin ii, qui populo agros essent assignaturi, ante acciperent a populo beneficium, quam darent: id totum eripere vobis atque e manibus extorquere conatus est. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodammodo dedit; hic, quod adimi nullo pacto potest, quadam ratione eripere conatur.*

Quis est, quin videat, eiectis inutilibus verbis *populo* et *tamen*, quae omittit Erfurtensis, et aequaliora membra existere et longe numerosiora? Particulam *tamen* etiam Or. I. C. I. §. 3. v. 6. ab interpretibus post *consume* additam videre licet.

C. XIII. §. 33. *Perspicite, quanta potestas permittatur: non privatorum insaniam, sed intolerantiam regum esse dicetis.*

Hic quoque locus maiorem consequitur vim eiecto verbo *esse*, quod Erfurtensis omittit.

C. XVI. §. 43. *Hac tanta de re P. Rullus cum ceteris decemviris, collegis suis, iudicabit?*

Recte *ceteris* omittit.

C. XIIX. §. 50. *Quamobrem cum intelligam, hanc totam fere legem ad illius opes evertendas, tamquam machinam, comparari: et resistam consiliis hominum, et perficiam profecto, quod ego video comparari, ut id vos universi non solum videre, verum etiam tenere possitis.*

Miror, quid sit, quod nemo interpretum ineptum esse verbum *comparari*, post *video* iteratum, intellexerit. Nam si post *video* ponitur, necessario ad sequentem infinitivum *videre* cogitatione supplendum est, sive potius continetur iam *id* pronomine, quod pendet a verbo *videre*. Hoc autem pronomen cum non tantum ad verbum *videre*, verum etiam ad *tenere* pertineat, necesse est *comparari* utroque loco subaudiatur. Atqui absurdum est, ad infinitivum *tenere* subintelligere *comparari*, ad quem quemadmodum certum est, verbum *machinationis*, quod con-

verbis *legem, tamquam machinam, compa-*

rari, suppleri debere, ita dubitari non potest, quin idem Cicero ad *video* et *videre* subintelligi voluerit. Itaque quod etiam sine codicum auctoritate eiiciendum erat verbum *comparari*, nunc nemo amplius a Cicerone additum putabit, cum in codice Erfurtense omittatur.

Haec efficient, opinor, ut alii iam intelligant, posse has Ciceronis orationes etiamnunc codicis Erfurtensis auctoritate interpolationibus purgari. Minime vero omnes hic a me indicati loci sunt, in quibus Erfurtensis verbis insititiis careat.

IN VERREM ACT. II. LIB. III. ET IV.

Etsi in varietate lectionum indicatum iam est, minime omnia, quae continentur libro tertio et quarto actionis secundae in codice Erfurtense scripta legi, tamen non erit inutile, hoc loco, quae contineat, ut uno obtutu cognosci possint, denuo exponere.

Habet igitur Act. II. L. III. C. I. §. 1. usque ad C. V. §. 10. v. 5. *deprecati*. Tum sequitur statim Act. II. L. IV. C. I. §. 1. et §. 2. *reliquisse*. Post hoc verbum sequitur §. 38. C. XVII. *Accipite, si vultis* — §. 42. C. XX. v. 9. *promptissimumque esset*. Tum sequitur §. 47. C. XXI. *Quid hoc est* — C. XXII. §. 49. *avellenda curavit*. Tum sequitur §. 54. C. XXIV. v. 1. *Et ne forte — solebat et pallio*. Ea excipiunt verba §. 58. C. XXVI. *Illa vero eius cupiditas — conchylio tinctum*, quae verba §. 59. v. 3. leguntur. Post haec sequitur §. 60. C. XXVII. *Venio nunc, non iam — iniuria impunita discesserit*, quae leguntur C. XXX. §. 68. v. 8. Tum sequitur C. XXXIII. §. 72. v. 14. — *ad agri fines prosecutus esse*, quae verba finem faciunt §. 77. C. XXXV. Ea excipiunt §. 78. verba *Quo quidem scelere — imperio locaverunt*, quae leguntur §. 79. v. 4. Ea excipiunt C. XLIII. §. 94. v. 1. *Herculis templum est — C. Verris nominabuntur*, quibus verbis finitur §. 97. Ea excipiunt C. XLV. §. 99. *Audite etiam — existimatio contineret*, quibus finitur §. 101. C. XLV. Ea excipiunt §. 110. C. L. *Qui tandem istius — versari videretur*, quibus finitur §. 110. Ea excipiunt verba §. 117. C. LII. *Urbem Syracusas — non dubitasset auferre*, quibus finitur C. LIII. §. 120. Ea excipiunt verba C. LV. §. 122. *Aedes Minervae est — factae esse videantur*, quibus finitur C. LVI. §. 125.

Caeterum magna diligentia haec Verrinarum actionum pars in codice Erfurtense scripta reperitur. Sunt tamen loci, in quibus ab editione Ernestiana valde dissentit.

EPISTOLAE AD DIVERSOS.

Quot epistolas contineat, dictum p. XV. est. Cum epistolae in editione Ernestiana non essent sectionibus distinctae, singulos versus non a §. ad §., ut in reliquis scriptis feci, sed a pagina ad paginam numeravi.

Titulos epistolarum ubique diligenter adnotandos putavi, cum Ciceronem aliter amicos, aliter familiarissimos suos salutasse constet.

Quod auctoritatem codicis attinet, licet multum cedere praestantissimo codici illi, ex quo cum maxime emendatae hae epistolae sunt, lubenter profiteat, tamen valde erraret, qui eodem eum in numero haberet, quo verbi causa Britannici aliique similes habentur. Nam ut multis in locis librariorum mendis inquinatus, maximeque eo nomine reprehendendus sit, quod passim omittat, quae genuina Ciceronis verba sunt, tamen plurimis in locis unice veram servavit scripturam, quae nondum ab editoribus restituta est, atque omittit etiam, quae male, utpote spuria, in aliis libris adduntur, additque nonnullis in locis, quae in plerisque codicibus librariorum incuria excidisse apertum est.

Erunt tamen, qui primo aspectu nihili faciant lectionum varietatem, ex codice Erfurtense enotatam, eorum adstipulati sententiae, qui omnes omnino codices, quotquot Epistolas ad Diversos contineant, ex vetustissimo illo codice, qui in bibliotheca Laurentiana nunc servatur et Plut. XLIX. Cod. IX. est, originem duxisse arbitrantur. Quam sententiam non possum quidem certissimis argumentis falsam esse comprobare, sed spero tamen fore, ut vera dixisse reperiar, qui partem codicum ex alio ortos fonte esse contendo. Erfurtensis autem, et Palatinus sextus et Hittorpianus, quos ex eodem cum Erfurtense fonte fluxisse iudico, num originem duxerint ex codice illo Laurentiano, saeculo XI. scripto, fortasse facillime certissimeque potest iudicari. Hi enim codices Libro XV. ep. 2. Ern. locum, qui nunc omnibus in editis scriptus legitur:

Cum ego ei gratulatus essem, idque me gaudere dixissem, cohortatus ut recordaretur casum illum interitus paterni, et vigilanter se tueretur, atque admonitu senatus consuleret saluti suae: tum a me discessit in oppidum Cybistra.

quatuor verbis auctum habent ita:

Cum ego ei gratulatus essem, idque me gaudere dixissem, et tamen adolescentem essem cohortatus, ut recordaretur casum illum interitus paterni, et vigilanter se tueretur, atque admonitu senatus consuleret saluti suae: tum a me discessit in oppidum Cybistra.

Verba igitur *et tamen adolescentem essem* si non sunt in codice Laurentiano, vix ullus relinquitur dubitandi locus, quin hi tres codices ex alio sint fonte deducti. Non esse in codice Laur., ex Victorii editione, in qua non esse dicuntur, colligi posset, si Victorium, qui codicem illum usurpavit, officium suum diligentissime esse exsecutum sciremus. Caeterum denuo nequeo satis editores mirari, qui, cum verba illa in textum recipere recusarint, necesse est insitiția iudicaverint, quae sunt ipsissima Ciceronis verba. Qui enim credibile est, ullum interpretem, si quid addendum hic putasset, nomen *adolescentis* fuisse positurum, et non ipsum *Ariobarzanis*, de quo agitur, nomen aut pronomen *eum?* Accedit, quod mira esset coniunctio verborum *gaudere dixissem* et *cohortatus*, quae cum sibi manifesto opponantur, debebant etiam particula oppositiva seiungi. Postremo in promptu est videre, qui factum sit, ut librarii verba illa omitterent. Etenim ab extremis litteris verbi *dixissem* aberravit oculus librarii ad extremas verbi *essem*, ideoque verba *et tamen adolescentem essem* incuria omisit.

Nihilominus multis in locis illis, quos paullo ante ex codice Erfurtense etiamnunc restituendos dixi, persuasissimum mihi est, librum illum Laurentianum, a Victorio usurpatum, prorsus cum Erfurtense consentire. Ac nisi egregie fallor, eadem etiam in eo posita compendia scribendi reperientur, quibus scriba codicis Erfurtensis usus est. Verum ea cum male interpretaretur aut ipse Victorius, aut is, cui imprimendae erant epistolae traditae, aut ii denique, qui ad fidem Victorianae editionis denuo epistolas ediderunt — nam ipsam Victorii editionem cum inspicere

non potuerim, nescio equidem, utrum verba illa corrupta, quae praedicant se editores ex Victoriana editione retinuisse, integris ibi litteris scripta exstent, an ab insequentibus editoribus pro compendiis, quibus usus sit Victorius, posita sint — factum est, ut minimum centum in locis epistolae ad Diversos pravis depravatae scripturis sint, quas omnes ex male intellectis librariorum compendiis ortas esse liquido potest demonstrari.

Res haec est. In editionibus omnibus, quae diligenter ad fidem Victorianae recusae sunt, nunquam per totos libros VI-XVI. excepto uno loco, qui legitur L. XII. ep. 30. p. 578. ed. Ern. *quoniam mihi nihil dixit Stratorius*, particula *quoniam* scripta exstat, sed, quoties ea requiritur, *quum* particula posita reperitur. Si diligentes fuissent editores, qui post Victorium epistolas denuo ediderunt, facile animadvertere potuissent, minime *quum* particulam codicum auctoritate niti, sed ortam esse ex hoc compendio *qm̃*, quo particula *quoniam* solet significari. Potuissent autem hoc primum inde colligere, quod, ubi recte se habet particula illa, nunquam *quum*, sed semper *cum* scribitur, deinde quod in omnibus locis, ubi forma *quum* reperitur posita, particula *cum* contra Grammaticam peccat, necessariaque est *quoniam* particula. Maxime mirum est, ne Ernestium quidem errorem illum animadvertisse, qui in Praefat. Vol. I. p. VI. haec monuerit:

„Simile quid accidit in structura particulae *cum*, quae ubi rationem causamque exprimit, coniunctivo iungitur, ubi tempus, indicativo; nisi alia causa coniunctivum postulat. Nam huius analogiae vel nescii, vel negligentes saepe et librarii et viri docti aberrarunt, etiam sic, ut cum in libris scriptis esset *qm.* vel *qn.* cum indicativo, *quoniam*, *quando*, ex eo facerent *quum:* cuius generis multa exempla in libris Ciceronis notavi, praesertim [repete *in*] Victorianis exemplis, aut inde expressis."

Atque verum sane est, Ernestium hic illic pro scriptura *quum* particulam *quoniam* restituisse, sed longe saepius pro ea *quando* scripsit, vitium vitio corrigens. *Quoniam* in totis epistolis ad Diversos quinquies tantum restituit. Lib. VI. ep. 8. p. 155. *quoniam — placuit*, Lib. VI. ep. 10. p. 156. *quoniam — cecidit*, Lib. VI. ep. 20. p. 167. *quoniam —*

possunt, Lib. IX. ep. 11. p. 248. *quoniam — es visurus*, et Lib. XIV. ep. 2. p. 437. *quoniam — placet*. In reliquis locis quoties *quum* particulam mutavit, *quando* particulam substituit. Neque tamen hoc fecit sine codicum auctoritate. Nam etsi ipse nullos usurpavi codices, in quibus eam, quam Ernestius recepit, scripturam exstare viderim, tamen non puto dubitari posse, quin pars codicum in omnibus fere iis locis, in quibus Laurentianum illum *qm̄* habere puto, *qn̄* scribant, cum in veteribus editionibus, quae non sunt ad fidem Victorianae impressae, constanter *quando* vel *qn̄* scribi animadverterim, ubi in Victorianis *quum* scribitur. In istas autem editiones non Victorianas particulam *quando* vel *qn̄* ex codicibus receptam esse, nemo profecto erit quin intelligat. Ubique vero scripturam *qm̄* praeferendam alteri *qn̄* esse, vel is concedet, qui Laurentiani longe maiorem esse auctoritatem reputarit, quam reliquorum omnium codicum. Accedit autem sententia loci, quam deinde videbimus nunquam non respuere *quando* particulam, alteram vero *quoniam* vehementer requirere.

Sed omnes mirabuntur, qui factum sit, quod in quinque prioribus libris Epistolarum ad Diversos uno excepto loco Lib. V. ep. 20. p. 135. *quum id te video desiderare*, ubi tamen *quoniam* Martyni Laguna restituit, recte ubique *quoniam* particula scripta exstet, in reliquis vero libris male ea in *quum* vel *quando* mutata reperiatur. Atqui huius quoque rei causam probabiliter puto explicari posse. Quemadmodum pro multis verbis duplex a librariis usurpatum compendium est, quae res multorum errorum fons exstitit, veluti pro *tamen* particula, quae nunc sic *tam̄*, nunc sic *tn̄* scribi consuevit, ita etiam *quoniam* particula nunc hoc compendio *quō*, nunc hoc *qm̄* significata est. Prius compendium antiquiore tempore usurpatum omnibusque viris doctis notum puto fuisse. Seriore tempore alterum *qm̄* in usu fuisse nec ita ut *quō*, a librariis frequentatum videtur, ita ut multis hominibus doctis plane incognitum esset, ab iisque pro *quum* positum putaretur. Sic librarius codicis Erfurtensis in prima parte libri semper compendio *quō* usus est, alterumque tantummodo in orationibus de lege agraria, et in libris de petitione consulatus, de senectute, et

de amicitia nonnunquam usurpavit. Iam si scriba codicis, ad cuius fidem Victorianae editiones impressae sunt, in quinque prioribus libris vulgarius illud compendium, in sequentibus vero alterum minus frequentatum usurpaverat, fieri facillime potuit, ut primorum editorum sive ignorantia, sive negligentia in posteriore epistolarum parte ubique *quum* pro *quoniam* imprimeretur.

Quaeritur autem, unde aliorum illa codicum scriptura, qui in libris undecim posterioribus ubique *quando* pro *quoniam* habent, orta sit. Quivis facile videt, improbabile esse, si in codice, qui fons omnium exstiterit, *qm̄* diligenter scriptum fuisset, id ubique librarium in *qn̄* fuisse mutaturum. Itaque ego ea sum sententia, ut auctorem exemplaris, ex quo omnes, qui etiamnunc exstant, orti codices sunt, etiam in libris VI—XVI. compendio *quo̅* usum fuisse existimem, sed cum plures exemplar illud describerent, unum ex iis compendio *quo̅* particulam *quando*, alium particulam *quoniam*, alium fortasse etiam particulam *quom* significari arbitratos esse. Quae quidem erratio eo facilior erat, si auctor illius antiquissimi exemplaris in quinque prioribus epistolarum libris integris litteris particulam *quoniam* scripserat. Fuisse autem librarios, qui compendio *quo̅* particulam *quando* indicari putaverint, ex multis coniici locis potest, in quibus diversae scripturae, quae in codicibus deprehenditur, origo sic tantum manifesta fit, si in codice eo, ex quo, qui ad nos pervenere, orti sunt, compendium *quo̅* pro particula *quoniam* positum fuisse sumimus. Eiusmodi ille est, qui legitur in oratione pro A. Caecina C. XII. §. 35. v. 1., de quo vide quae supra monuimus.

Non minus certum est, compendium *quo̅* etiam pro *quom* particula a nonnullis librariis esse usurpatum, id quod eo minus habet offensionis, quo notius est ad litteram finalem *m* significandam frequentissime librarios lineola super antecedente vocali posita usos esse. Ita saepius a me adnotatum reperies, in codice Erfurtense *quo̅* scriptum exstare, ubi non *quoniam*, quam particulam isto compendio alibi indicat, sed *cum* particula necessario requiritur aliorumque codicum auctoritate iam recepta est. His ipsis autem in

locis librarium puto *quō* compendio nihil aliud nisi *quom*, quam scripturam in codice, quem describebat, repertam in vulgarem *cum* mutare aut recusarit aut oblitus sit, significare voluisse.

Ex ea re autem, quod *quō* tum *quoniam* tum *quom* significavit, facile vides quanti per primos editores, huius consuetudinis ignaros, oriri errores et corruptelae potuerint. Eiusmodi quid accidisse puto orationis in Rullum I. C. I. §. 3., ubi nunc legitur:

Si quid est, quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris, quamquam iniquum est, consume sane, quoniam commodum est, quoniam quidem tu attulisti.

Vidit iam Orellius *quoniam* particulam ante *commodum* positam ineptam esse, pro qua ego non dubito, quin *quom* in antiquo exemplari scripta fuerit.

Ex iis, quae adhuc exposuimus, facillimam appareret confusionem particularum *quoniam*, *quom*, et *quando* fuisse, ita ut saepe, quaenam harum ab ipso libri auctore posita sit, nonnisi ex loci sententia diiudicari possit. Addo, id quod deinde exemplis confirmabitur, cum eisdem, maxime cum *quoniam* particula saepenumero *quam*, *quo*, *qui*, *quomodo*, et *quod* confusa esse.

Indicabo iam ipsos illos Epistolarum locos, quos paullo ante corruptelis etiamnunc affectos dixi, ac primum quidem eos, in quibus pro vulgari scriptura *quum*, ex editione Victoriana propagata, codicis Erfurtensis auctoritate *quoniam* particula restituenda est.

L. XIV. ep. 1. p. 455. *Nunc, quum sperare nos amici iubent, dabo operam, ne mea valitudo tuo labori desit.*

Sic Gruterus, Kortius, Ernestius scribunt, quos semel monuisse sufficiat nunquam alibi formam *quum* imprimendam curasse, nisi ubi eadem in editionibus prioribus Victorianis erat. Graevius qui mutavit in *cum*, etsi diligentiae laudem et constantiae sibi ea re peperisse videri potest, tamen in maiorem incidit errorem, falsa dicens, cum in Varietate lectionum eandem, quam ipse receperit, scripturam ed. Victor. habere monet. Idem cum Hittorpianum et Palatinum sextum ibidem cum Vict. ed. consentire dicat, vix licet dubitare, quin codices illi *qm̄* habeant, quo viri docti, Gebhardus, Gruterus, et Graevius *quum* par-

ticulam indicari putarint. Atque revera Hitt. et Pal. sextum hoc loco *qm̄* habere, eo probabilius est, quo magis illos cum Erfurtense consentire animadvertimus, qui ipsum illud compendium *qm̄*, id est *quoniam*, hoc loco habet.

Itaque pro certo exploratoque habendum puto, codicem Victorii, Hitt., et Palat. sextum cum Erf. hic *quoniam* habere, quae sola huic loco accommodata scriptura est. Nam *quando*, quam particulam hic editiones non Victorianae habent, aeque ac *cum* sententiae loci adversatur.

Lib. XIV. ep. 4. p. 459. *Sin haec mala fixa sunt, ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre, et in tuo complexu emori, quum neque dii, quos tu castissime coluisti, neque homines, quibus ego servivi, nobis gratiam retulerunt.*

Victorius et Gruterus *quum*, Graevius *cum*, Kortius et Ernestius cum editionibus non Vict. *quando* habent. Contra diserte hoc loco Hittorpianus *qm̄* scribere refertur, id quod etiam Erfurtensis habet. Est igitur vera scriptura *quoniam* in cod. Vict., Hitt., et Erfurtense.

Lib. XIV. ep. 5. *Sed quum subeunda fortuna est, eo citius dabimus operam, ut veniamus, quo facilius de tota re deliberemus.*

Sic Victorius, Gruterus, Kortius, et Graevius (*cum* scribens). Ernestius cum non Vict. male *quando*. Cum ed. Vict. Graevius in Varr. Lectt. Hittorpianum et Palat. sextum consentire ait. Hinc efficitur, codicem Vict., Hittorp., et Pal. sextum cum Erfurtense, qui hic *quō* scribit, *quoniam* habere. *Quum* vel *cum* contra Grammaticam peccat.

Lib. XV. ep. 2. p. 453. *Existimavi, me iudicium vestrum ad regem deferre debere, eique praesidium meum et fidem et diligentiam polliceri, ut, quum salus ipsius, incolumitas regni mihi commendata esset a vobis, diceret, si quid vellet.*

Hic omnes, qui Victorium secuti sunt, Grut., Kort., Graev. (*cum* scr.), Ern. aliique *quum* habent, non Victorianae edd. *quando*. Graevius cum in Varr. Lectt. Hitt. et Palat. sextum facere cum ed. Vict. dicat, patet hos tres codices, quibus Erfurtensis accedit, *quoniam* habere.

Lib. XV. ep. 10. p. 465. *Quum id accidit, quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam (mirificus enim generis ac nominis vestri fuit erga me semper animus) quum ergo ita accidit, ut omnium vestrum studia tuus consulatus satisfacere posset: peto a te id, quod facillimum factu est* etc.

Utroque loco *quum* Grut., Kortius, et Graevius (*cum* scr.) cum Victorio. Ernestius cum non Vict. *quando* scripsit. Diserte hic a Graevio Hittorp. et Palat. sextus *quoniam* habere referuntur, quam eandem particulam, sententiae necessariam, Erfurtensis habet, *qm̄* scribens.

Lib. XV. ep. 12. p. 467. *Quam mihi facultatem quum hic necopinatus et improvisus provinciae casus eripuit: tamen ut te — videre possim, magnopere a te peto, ut operam des* etc.

Sic Vict., Grut., Kort., Graevius (*cum* scr.), et Ernestius. Non Vict. *quando*. Cum Erfurtense, hoc uso compendio *qm̄*, facit Pal. sextus, quam Graevius *quoniam* habere monet.

Lib. XV. ep. 14. *Id quum non accidit, utemur bono litterarum, et eadem fere absentes, quae, si coram essemus, consequemur.*

Sic omnes Victorianae editt., reliquae *quando*. Hittorpianus et Palat. sextus cum facere cum ed. Vict. dicantur, non est dubium, quin cum Erfurt. *qm̄* id est *quoniam* habeant.

Lib. XV. ep. 15. p. 470. *Etsi uterque nostrum spe pacis et odio civilis sanguinis abesse a belli pertinacia voluit, tamen, quum eius consilii princeps ego fuisse videor, plus fortasse tibi praestare ipse debeo, quam a te exspectare.*

Ex editoribus Victorium secutis primus Ernestius *quum*, coniunctivum post eam particulam sequi debere recte monens, correxit mutavitque in *quando*, quae edit. non Vict. scriptura est. Unice apta *quoniam* particula est, quam Erfurtensis habet, *qm̄* scribens.

Lib. XV. ep. 20. p. 477. *Tu, mi Treboni, quum ad amorem meum aliquantum olim discedens addidisti, quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato.*

Sic editt. quas dixi Vict. praeter Ern., qui cum non Vict. *quando*. Erfurtensis *qm̄*, id est *quoniam*.

Lib. XVI. ep. 6. p. 484. *Cura, cura te, mi Tiro; quum non contigit, ut simul navigares, nihil est, quod festines.*

Sic editt. Vict. praeter Kortium et Ern., qui *quando* scripserunt, editt. non Vict. secuti. Erfurtensis, quocum facit sine dubio Palat. sextus, quem Graevius consentire cum ed. Vict. dicit, *qm* id est *quoniam* habet.

Lib. XVI. ep. 9. p. 486. *Symphoniam Lysonis velim vitasses, ne in quartam hebdomada incideres; sed quum pudori tuo maluisti obsequi quam valetudini, reliqua cura.*

Sic omnes editt. Victt. etiam Ernestius, alibi *cum* particulam sic usurpatam minime tolerans. Reliquae editt. *quando.* Erfurtensis *quoniam*, compendio *qm* usus.

Lib. XVI. ep. 11. p. 487. *Sed quum in quartanam conversa vis est morbi* (*sic enim scribit Curius*), *spero, te diligentia adhibita etiam firmiorem fore.*

Sic omnes editt. Victt. Reliquae editt. *quando.* Graevium falsa puto dixisse, cum Hittorpianum *quando* habere ait. Sine dubio consentit ille cum Erfurtense, qui recte *qm* id est *quoniam* habet.

Lib. XVI. ep. 12. *Tu quum eo tempore mecum esse non potuisti, quo ego maxime operam et fidelitatem desideravi tuam, cave festines aut committas, ut aut aeger aut hieme naviges.*

Sic omnes editt. Victt.; reliquae *quando.* Cum Erfurtense, *quoniam* per *qm* scriptum habente, videtur Palat. sextus consentire, quem Graevius facere cum ed. Vict. dicat.

Lib. XVI. ep. 20. p. 495. *Libros compone; indicem, cum Metrodoro lubebit, quum eius arbitratu vivendum est.*

Sic editt. Victt. praeter Graevium et Ernestium, qui cum reliquis *quando* scripserunt. Erfurtensis *qm*, id est *quoniam.*

His omnibus locis neque *quando* particula tolerari potest, quae temporis tantummodo notionem habeat, neque *quum* vel *cum*, quae causalem cum habet significatum cum coniunctivo coniungi debeat. Puto autem ubique *quoniam* particulam plurimorum et optimorum codicum auctoritate niti, sed scriptam eodem,

quo in codice Erfurtense, compendio *qm̄*, quo sine dubio editores *quum* particulam significari arbitrati sunt.

Porro, codicis Erfurtensis auctoritate, licet omnino veram scripturam non habeat, emendandus tamen locus est, qui exstat

Lib. XIV. ep. 10. p. 444. *Apertius scribi, quum ad illum scripseram, necesse non fuit.*

Sic editt. Victt. praeter Ernestium, qui cum pro *quum* scripsisset *quando*, ad hunc locum monuit: „Sic edd. pr. *quum* recentiores male: deberet esse *scripsissem*. Sed hic malim tamen prope, *cum ad illum scripserim*.“ Atqui nulla opus coniectura est. Veram enim scripturam ipsi codices habent. Restitue *quoniam*, quod firmat Erfurtensis *qua*̄, id est *quam* habens. Ipsum autem *qua*̄ aperte ex *quo*̄ ortum.

Scriptura *quum* ut ubique in editionibus Victorianis vitii nos admonet, ita etiam Lib. XV. ep. 2. p. 454. v. 26. licet in *quoniam* mutari nequeat, tamen genuina non est. Locus ita se habet:

Fore autem, ut omnes, quum senatusconsultum nossent, intelligerent, me negi, si opus esset, ex auctoritate vestra praesidio futurum.

Hic omnes edd. Victt. scribunt *quum*; reliqui *quando*. At optime, id quod quivis primo obtutu intelligat, Erfurtensis habet *qui*.

Egregie autem hoc loco comprobatur coniectura mea, scripturam *quum*, quae est in editionibus Victorianis, ortam esse ex compendio *qm̄*. Sic enim intelligitur, qui vera scriptura *qui* in *quum* mutari potuerit.

Denique emendandus ex codice Erfurtense locus est, qui legitur Lib. XVI. ep. 21. p. 496. et in editt. Vict. ita se habet:

Quod igitur tum ex me doluisti, nunc, ut duplicetur tuum ex me gaudium, praestabo.

Editt. non Victt. pro *Quod* habent *quando*, quae res per se iam eo nos ducere debet, ut *quoniam* fuisse a Cicerone scriptum putemus. Eam ipsam autem particulam optime Erfurtensis habet, *qm̄* scribens.

Postquam patefactum est, in libris epistolarum ad Diversos iis, quos codex Erfurtensis servavit, numquam non *quum* scripturam, quae in editionibus Victorianis reperitur, ex male intellecto compendio

esse ortam et ubique fere in *quoniam* particulam necessario esse mutandam: quis tandem erit, quin sponte intelligat, eandem scripturam, sicubi in reliquis epistolarum libris offendatur, non minus debere per se suspectam esse et pro corruptela haberi? Atqui ubique particula *quum* usui etiam et consuetudini loquendi prorsus adversatur, cum contra *quoniam* particula omnibus fere locis apprime conveniat. Non minus *quando* particula ab locis illis aliena est, quam semel monuisse sufficiet, ubique in editionibus non Victorianis exstare, quoties in Victorianis *quum* pro *quoniam* excusa est. Itaque mutabit, si sapiet, futurus editor hos omnes, quos iam allaturus sum, locos restituetque pro vulgaribus *quum* et *quando* particulis sine dubitatione *quoniam*.

Loci hi sunt:

Lib. VI. ep. 4. p. 144. *A qua quum tantum absumus, ut etiam optime senserimus, eventusque magis nostri consilii, quam consilium reprehendatur; et quum praestitimus, quod debuimus, moderate, quod evenit, feramus.*

Atque hoc quidem loco ipsi codices nonnulli apud Graevium in Varr. Lect. *quoniam* habere referuntur.

Lib. VI. ep. 6. p. 148. *Rationem haberi absentis, non tam pugnavi ut liceret, quam ut, quum ipso consule pugnante populus iusserat, haberetur.*

Hic Ernestius *quum* coniunctivum requirere cum intellexisset, scripsit *quando*. Caeterum noli tu fidem habere Benedicto, qui cum Victorio, Graevii I. et Vaticano Torgaviensem et Dr. III. *quum* habere dicit. Qui codices illos consulere voluerit, eum *qm̄* scriptum ibi reperturum esse quovis pignore contendere audeo. Benedictus autem in ea fuit sententia, ut *qm̄* pro *quum* particula poni putaret. Cfr. eius praef. p. XIIII. Itaque pro certo habendum est, in quatuor illis libris exstare *quoniam*. Eandem particulam in aliis fuisse codicibus, probat scriptura *quomodo*, quam praebent Palat. primus, Dresd. II., et Brit. *v.*, et scriptura *quod*, quae est in Brit. *ψ*. *Quomodo* enim, hoc scriptum compendio *quo*̄, ex nulla alia scriptura nisi ex *quo*̄, id est *quoniam*, ortum est.

Lib. VI. ep. 6. p. 149. *Quare, quum, ut augures et astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus praedictis constitui apud te*

auctoritatem augurii et divinationis meae, debebit habere fidem nostra praedictio.

Hic quamquam non minus vitiosa *quum* particula sequente indicativo quam in loco antecedente est, nihil tamen mutavit Ernestius.

Lib. VI. ep. 7. *Filius, ut audio, pertimuit, neque iniuria, si liber exisset: quum non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur: ne ea res inepte mihi noceret, cum praesertim adhuc stili poenas dem.*

Ernestius *quando* scripsit.

Lib. VI. ep. 8. p. 154. *Quum quid tibi permittatur, cognosti, quid mihi placeat, puto te scire oportere.*

Cum Victorio Dr. I. *quum* habere testatur Benedictus. Habet igitur *quoniam*. Gruterus, Graevius, Kortius, Ernestius aliique nil monito lectore hic *quando* scripserunt.

Lib. VI. ep. 11. p. 158. *Quod reliquum est, quum tibi virtus et dignitas tua reditum ad tuos aperuit, — est tuae sapientiae magnitudinisque animi, quid amiseris, oblivisci, quid reciperaris, cogitare.*

Iidem editores hic a Victorio defecerunt et *quando* scripserunt. Dr. I. monente Benedicto hic *quom* habet, quo compendio nil aliud nisi *quoniam* significari potest. Britannicus F. dicitur *quum* habere, nisi error eius est, qui Britannicos codices contulit, compendiumque *qm* pro *quum* positum putatum est.

Lib. VI. ep. 13. p. 162. *Quum quid sentirem, exposui, quid velim tua causa, re potius quam oratione declarabo.*

Ernestius *quando*. Cum Victorio Dr. I. consentit.

Lib. VII. ep. 2. p. 173. *Nunc, quum tuum pretium novi, licitatorem potius ponam, quam illud minoris vaeneat.*

Mirum ne hic quidem quemquam editorum *quoniam* scripsisse, quam particulam diserte habent Dr. III. IV. V. et Asc. I. Dr. I. et Torgav. a Benedicto *quum* habere dicuntur, id est, *qm*, ergo *quoniam*.

Lib. VII. ep. 6. p. 179. *Tu qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto, et, quum Medeam agere coepi, illud semper memento, qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequicquam sapit.*

Ernestius *quando* scripsit.

Lib. VII. ep. 18. p. 189. *Itaque quum vestrae cautiones infirmae sunt, Graeculam tibi misi cautionem chirographi mei.*

Ernestius nil monito lectore *quando* scripsit. Cum Victorio consentit Dr. I.

Lib. VII. ep. 30. p. 201. *Nisi haberem socium studiorum meorum, Atticum nostrum, cuius quum proprium te esse scribis mancipio et nexu, meum autem usu et fructu, contentus isto sum.*

Pro *quum* Dr. I. *quomodo.*

Lib. VII. ep. 31. p. 201. *Quod quum uterque nostrum consecutus est, reliquum est, ut officiis certemus inter nos, quibus aequo animo vel vincam te, vel vincar abs te.*

Dr. I. facit cum Victorio.

Lib. VII. ep. 32. p. 202. *Sed quum tanta faex est in urbe, ut nihil tam sit ἀνύθηρον, quod non alicui venustum esse videatur, pugna, si me amas* etc.

Dr. I. cum Victorio *quum* habere dicitur.

Ibid. p. 203. *Tu, mi Volumni, quum et instituisti et mihi vides esse gratum, scribe ad me quam saepissime de rebus urbanis.*

Hic Brit. P. *quoniam;* reliqui partim *quomodo,* partim *quando,* partim *quum,* puta *qm.*

Lib. VIII. ep. 8. p. 221. *Nunc, quum dare necesse est, velim tibi curae sit, quod a te semper petii, ut aliquid istinc bestiarum habeamus.*

Ernestius *quando* scripsit.

Lib. VIII. ep. 9. p. 222. *Nam non expeditur successio, quum Galliae, quae habent intercessorem, in eandem conditionem quam ceterae provinciae vocantur.*

Lib. VIII. ep. 11. p. 227. *Sed quum suspicaris, minus certa fide eos tibi visos, tamquam procurator sic agas rogo.*

Lib. IX. ep. 1. p. 237. *Quamobrem quum placatis his utor, videor sperare debere, si te viderim, — me facile transiturum.*

Ernestius *quando* scripsit, licet ex duobus Mss., apud Graevium in Varr. Lectt. commemoratis, veram lectionem *quoniam* restituere posset.

Lib. IX. ep. 7. p. 243. *Nunc quum confecta sunt omnia, dubitandum non est, quin equis viris.*

Lib. IX. ep. 13. p. 250. *Quapropter quum his Caesar vitam sua liberalitate concessit, nec est, quod iis praeterea magnopere possit adimi: reditum — hominibus confice.*

Ernestius *quando* scripsit.

Ibidem ep. 14. p. 252. *Tu quum rempublicam nosque conservas, fac ut diligentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias.*

Ernestius *quando* scripsit.

Ibid. ep. 16. p. 255. *Sed quum proximis quoque litteris ostendis, quantae tibi curae sit ea res, sic, mi Paete, habeto* etc.

Ibidem p. 257. *Nunc venio ad iocationes tuas, quum tu secundum Oenomaum Accii, non, ut olim solebas, Atellanum, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti.*

Ibid. ep. 17. p. 259. *Si id minus contigerit, tamen, quum ego vir fortis idemque philosophus vivere pulcherrimum duxi, non possum eum non diligere, cuius* etc.

Ernestius *quando* scripsit.

Ibidem ep. 18. p. 261. *Sed quum, ut video, aestimationes tuas vendere non potes, — Romam tibi remigrandum est.*

Ernestius *quando* scripsit.

Ibidem. *Potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, quum cantherium comedisti, Romam pervehi.*

Ibidem ep. 22. p. 265. *Nihil est ergo in verbo, quum et ego Graece scio, et tamen tibi dico, bini.*

Ernestius *quando* scripsit.

Lib. X. ep. 1. p. 272. *Sed quum acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat, quod singulis de rebus scriberem.*

Ernestius *quando* scripsit.

Ibidem ep. 12. p. 287. *Eam facultatem habes maximam, quam quum complexus es, tene.*

Ernestius *quando.*

Ibidem ep. 25. p. 302. *Sin autem satisfactum reipublicae putas, celeriter ad comitia, quum mature futura sunt, veniendum censeo.*

Ernestius quamquam codices nonnullos hic *quoniam* praebere non ignorabat, tamen *quando* cum Graevio scripsit.

Ibidem ep. 26. p. 303. *Comitia tamen, quum ex iis pendes, quantum facere possumus, — in Ianuarium mensem protrudimus.*

Ernestius *quando.*

Ibid. ep. 30. p. 306. *Quas* (cohortes) *sequi coepimus coacti, quum eas retinere non poteramus.*

Ernestius *quando.*

Lib. XI. ep. 2. p. 317. *De tua fide et benivolentia in nos nisi persuasisset nobis, non conscripsissemus haec tibi, quae profecto, quum istum animum habes, in optimam partem accipies.*

Ibidem ep. 16. p. 331. *Nunc si me tanti facis, quanti certe facis, quum equitum centurias tenes, in queis regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat.*

Ernestius *quando.*

Ibidem ep. 28. p. 341. *Quod quum, ut volui, scio esse, respondebo criminibus.*

Ernestius *quando.*

Ibidem ep. 28. p. 342. *Plecteris ergo, inquiunt, quum factum nostrum improbare audes.*

Lib. XII. ep. 3. p. 347. *Sed hoc vestrum est: quod quum praeteriit, utinam haberem, quid vobis darem consilii!*

Ibidem ep. 14. p. 359. *Quum consulibus decreta est Asia — rogo te, petas ab iis, ut* etc.

Ernestius *quando* scripsit.

Lib. XIII. ep. 1. p. 380. *Sed mehercule quum illi ceterisque, quos illa delectant, non valde inimici sumus, nescio an ignoscendum sit huic, si tantopere laborat.*

Ernestius *quando.*

Ibidem ep. 4. p. 383. *Sed quum apud te nihilominus hoc tempore valere me confido, quam valuerim semper apud omnes: pro nostra summa necessitudine — abs te peto, ut* etc.

Ernestius *quando.*

Ibidem ep. 6. p. 385. *Id quum assequi non possum, tu re velim efficias, ut ille — arbitretur.*

Ibidem ep. 7. p. 387. *Quod erit huiusmodi, ut si a Caesare, quod speramus, impetrarimus, tuo beneficio nos id consecutos esse iudicemus; sin minus, pro eo tamen id habeamus, quum a te data sit opera, ut impetraremus.*

Palatinus sextus apud Graevium in Varr. Lectt. *quom* habere dicitur.

Ibidem ep. 18. p. 597. *Sed tamen quum mihi pro coniunctione nostra vel peccare apud te in scribendo licet, utrumque eorum, quae negavi mihi facienda esse, faciam.*

Ibidem ep. 26. p. 403. *Illud praeterea — feceris mihi pergratum, si — eos, quum cum senatore res est, Romam reieceris.*

Ernestius *quando* scripsit, quamvis ipse Gu. 2. *quoniam* habere adnotaverit.

Ibidem ep. 30. p. 408. *Sed quum habet praeterea negotia vetera in Sicilia sua, et hanc hereditatem fraternam et omnia eius tibi commendo.*

Ibidem ep. 54. p. 419. *Quare quod reliquum est, a te peto, quum apud gratos homines beneficium ponis, ut eo lubentius iis commodes.*

Ibidem ep. 56. p. 420. *Nunc quum mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me summis officiis.*

Ibidem ep. 61. p. 422. *Pergratum igitur mihi feceris, quum non modo reliqui tutores, qui sciunt, quanti me facias, sed etiam puer ipse sibi persuasit, te omnia mea causa facturum esse, si dederis operam.*

Ernestius *quando.*

Ibidem ep. 65. p. 425. *Sed quum — consecutus es, ut lubentissimis Graecis nutu quod velis consequare, peto a te in maiorem modum, ut* etc.

Ibidem ep. 66. p. 426. *Nunc quum — tutissimum sibi portum provinciam istam esse duxit, etiam atque etiam te rogo.*

Ibidem ep. 71. p. 429. *Multos tibi commendem necesse est, quum omnibus nota nostra necessitudo est, tuaque erga me benivolentia.*

Ernestius *quando* scripsit.

Ibidem ep. 75. p. 431. *Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris, ut Avianus, quum se a me amari putat, me a te amari sciat.*

Ernestius *quando* scripsit.

Scriptura *quum* quamquam non mutanda in *quoniam*, corrupta tamen est in tribus praeterea locis. Legitur in editionibus Victorianis

Lib. V. ep. 18. *Tu vero, qui et fortunas et liberos habeas, et nos ceterosque necessitudine et benivolentia tecum coniunctissimos; quumque magnam*

facultatem sis habiturus nobiscum et cum omnibus tuis vivendi; et cum unum sit iudicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod una sententia eaque dubia potentiae alicuius condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam molestiam quam lenissime ferre.

Miram huius loci corrigendi et interpungendi rationem iniit Martyni Laguna, qui quae coniungi debent necessario membra, ea violenter distraxerit. Nihil corrigendum, nisi particula *quum*, quae mutanda in *qui* est, quod pronomen rectissime iam in editionibus non Victorianis scriptum reperitur. *Quum* autem, sive potius *qm* patet facillime ex *qui* potuisse oriri.

Lib. VII. ep. 15. p. 186. *Quum vero in C. Matii, suavissimi doctissimique hominis, familiaritatem venisti, non dici potest quam valde gaudeam.*

Hic quoque rectius quam in Victorianis editionibus scribitur in reliquis *quod vero*, quam scripturam multi etiam Benedicti codices confirmant.

Lib. VII. ep. 24. p. 195. *Phameae causam receperam, ipsius quidem causa: erat enim mihi sane familiaris. Is ad me venit, dixitque iudicem sibi operam dare constituisse eo ipso die, quo de P. Sestio in consilium iri necesse erat. Respondi, nullo modo me facere posse, quum vellem: alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum.*

Sic Ernestius aliique multi scripserunt, Victorii emendationem secuti. Sed Medicaeus codex, sive Laurentianus, ut diserte ad hunc locum monet Victorius, habet *quem vellem*, quocum consentit Dresd. III.; alii in iisque optimae notae Dr. I. *quem vellent*; alii, ut Dr. II., V., Asc. I. *quem vellet*; alii denique *cum vellem*. Qui cum hoc loco comparaverit quae Cicero Attico scribit L. XIII. ep. 49. *respondi non ignorare eum, quid ego deberem Sestio; quem vellet alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum:* vix dubitabit, quin eodem modo hic etiam locutus Cicero sit. Verumtamen cum optimi libri hic partim *vellent* partim *vellem* habeant, coniiciat quis, scripsisse Ciceronem: *quem vellent alium diem si sumpsissent.*

EPISTOLA AD OCTAVIANUM.

Vehementer discedit multis in locis ab vulgata recensione, et ita quidem, ut sedulo aliquem nonnulla

mutasse appareat. Eiusmodi illud est quod statim initio legitur: *nulla enim remedia, quae vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quae sunt salutaria*; quae sic leguntur scripta in codice Erfurtense: *nulla enim remedia, quae vulneribus adhibentur, non faciunt dolorem, quamvis sint salutaria.*

Omnino autem animadverti licet, in eis scriptis, quae dubitant viri docti num Ciceronis sint, magnopere a se dissentire codices. Cuius rei causam nondum equidem indagare potui.

DE PETITIONE CONSULATUS.

Non magni pretii. Nam ut quidam ex eo loci emendari et possint et debeant, tamen multis inquinatus corruptelis est ac nonnullis etiam interpolationibus.

CATO MAIOR
SEU
DE SENECTUTE.

Ciceronis librum, qui inscribitur Cato Maior, inde ab antiquis temporibus frequentissime ac studiosissime lectitatum esse, inter omnes, opinor, constat. Non minus certum est, ea veterum scriptorum opera, quae plurimorum hominum manibus versata sint et tractata, omnium maxime interpretum glossis et additamentis aucta et depravata esse. Itaque hunc Ciceronis librum de senectute scriptum minime deberet mirum videri si qui existeret, qui nulla nixus codicum auctoritate multis in locis interpolationibus corruptum existimaret. Quanto magis hominum doctorum consensum et approbationem consequi debebit is, qui ipsis codicibus confirmantibus multa verba, quae nunc tamquam a Cicerone profecta huic libro inserta reperiuntur, ab interpretibus orta esse contendat?

Id autem ego contendo, qui diligenter consideratis lectionibus, quas ex codice Erfurtense enotavi, collatisque cum iis reliquorum, qui ab aliis consulti sunt, codicum scripturis hoc mihi videor intellexisse, vix ullum Ciceronis opus pluribus Grammaticorum explicationibus ac glossis depravatum esse, quam hunc ipsum, quo de agitur, librum. Nam etsi Gernhardus iam, vir eruditissimus, passim expulit inepta male sedulorum hominum additamenta, multo tamen ille quam debebat modestior fuit gravemque ac dulcem

Ciceronis sermonem etiamnunc plurimis istorum hominum interpolationibus depravatum, edidit. Negari tamen non potest, esse hoc editorum officium longe difficillimum, magisque in hominum doctorum reprehensionem incurrere, qui unum, quod Ciceronis sit, verbum e textu eiiciat, quam qui centum glossis inter Ciceroniana verba locum concedat. Itaque ne in alteram, quam in quam nunc peccatum est, partem in posterum peccetur, ipse indicabo viam ac rationem, quae mihi videatur ab eo ingrediunda, qui recte et felice successu hanc artis criticae partem tractare voluerit.

Nemo non intelligit, temere agere, qui quae in codice aliquo omittantur verba, continuo si ad sententiae integritatem non prorsus sint necessaria, insititia esse iudicet. Fuit enim hic communis omnium librariorum error, quod hic illic omiserunt, quae non debebant omitti, in iisque etiam nonnunquam talia, quibus omissis quodammodo salva maneret sententia. Ea si sunt eiusmodi, ut qua ratione negligi a librariis potuerint, luculenter appareat, non erunt continuo supposita habenda. Porro quos codices eo vitio insignes cognovimus, quod plurima in eis desiderentur, quae certum sit ipsa scriptoris verba esse, eorum perquam exigua auctoritas erit, sicubi non agnoscant, quae in aliis reperimus codicibus scripta. Contra iusta necesse est interpolationis suspicio oriatur, sicubi liber, cuius maxima est auctoritas, non habet verba, quae neque ad sensum necessaria sunt neque quomodo excidere potuerint videre in promptu est. Sed cum uni libro nonnunquam tanta haberi fides nequeat, ut eius auctoritate statim, quae abesse possint salvo sensu, eiiciantur verba, aliorum expectandus erit consensus codicum, priusquam exulare iubeas, quae in uno desiderantur codice. Verum ne hoc quidem ubique momentum facit, si duo pluresve libri consentienter omittunt, quae in reliquis scripta deprehenduntur. Nam si illi ex se invicem orti et descripti sunt, unius potest esse librarii error, quem consensum plurium putes. Itaque mea sententia id maxime agendum ei est, qui hoc artis criticae genus feliciter tractare studuerit, ut singulorum codicum origo quae sit, diligentissime inquirat.

Hoc autem qui fecerit, saepenumero certissime poterit demonstrare, insititia esse, quae duo tresve

codices omittant. Ponamus enim, omnes, qui hunc de senectute librum Ciceronis servarint, codices ortos esse ex exemplari seculo VI. scripto, sed ita, ut tres quatuorve librarii istud exemplar descripserint atque hi tres quatuorve codices fons exstiterint omnium eorum librorum, qui ad nostram aetatem pervenerint et collati sint. Iam si duo codices, in quibus eadem verba omittantur, docere poteris, diversae esse familiae, neque aliter cognatos, quam quod ex eo origine ducant codice, ex quo omnes omnino, qui nobis innotuerunt, orti sunt, tum profecto, quin insititia sint, quae in duobus illis omittantur, nullus relinquetur dubitandi locus, praesertim si verba omissa eiusmodi sint, ut oculorum aberratione negligi potuisse prorsus sit incredibile. Qui enim existimari licet, duos librarios, idem diverso tempore describentes exemplar, eadem saepius verba fuisse omissura, si ut genuina in libro, quem describebant, scripta exstitissent? Neque vero qui accurate collatorum codicum scripturas diligenter consideraverit, non fieri posse intelliget, ut eorum origo et familiae indagentur. Sed quomodo et debeat et possit hoc fieri, docebo in Prolegomenis ad orationem Plancianam.

Porro videndum, num codices, qui omittunt, quae ambiguum est utrum scriptoris antiqui sint an interpretum verba, eiusmodi careant additamentis, quae nemo dubitavit pro spuriis habere pluresque iam editores textu eiecerunt. Quod si ita est, eo maior debebit eorum auctoritas esse, quo levior contra fides habenda eis est, quos aliunde scimus interpretum additamentis vehementer esse interpolatos. Qui licet numero longe plures sint quam illi, qui omittunt, quae videntur insititia, tamen nihil fere contra illorum efficient auctoritatem.

Redeo iam ad codicem Erfurtensem, quem primum tenendum est perquam diligenter scriptum hunc Ciceronis librum servasse. Nomina propria, quae dicuntur, ubique fere recte scripta affert, omninoque paucis librariorum mendis et erroribus inquinatus est. Interpunctio etiam maximam partem perbona est. Scribendi genera singularia haec sunt, quod semper *haut*, *ammirari*, *ammirabilius*, et *amminiculum*, contra non *ammixtum*, sed *admixtum* scribit. Bis etiam *Xenofontis* pro *Xenophontis* scribit. In initio secunda manus multa correxit, quaedam recte, alia

inepte; superscripsit etiam passim explicationis, opinor, causa, quae editores Ciceronianis verbis inseruerunt.

Caeterum vehementer ab Ernestiana editione discedit, partim eo, quod longe alio ordine verba habet collocata, partim quod alia pro vulgatis verba habet, partim quod omittit non pauca, quae nunc in editionibus omnibus exstant scripta, partim denique quod addit licet raro, quae desiderantur in editionibus. Atque additamenta eius quod attinet, ea uno excepto loco Grammaticorum sedulitati omnia credo deberi.

Verborum autem ordinem, quem habet, plerisque in locis unice verum iudico. Sic C. XI. §. 35. optime scribit, *cum id ne adolescentes quidem*, quem tamen ordinem Gernhardus iam cum alii etiam haberent codices sequendum intellexit. Non minus probo, quod C. X. §. 34. pro *Arbitror te audire* scribit *Audisse te arbitror.*

Porro quoties a vulgatis editionibus dissentit eo, quod alia pro iis, quae recepta sunt, verba habet, genuinam eum servasse scripturam credo. Eiusmodi est, quod C. XX. §. 74. *qui in liberanda patria est interfectus* pro *est interfectus* scribit *interemptus est.* Neminem enim umquam interpretum verbum *interficere* verbo *interimere* fuisse explicaturum, manifestum est. Contrarium et fieri potuisse et factum esse scimus.

C. XIV. §. 48. *Sic adolescentia voluptates prope intuens magis fortasse laetatur, sed delectatur etiam senectus procul eas aspectans tantum, quantum sat est.*

Ad quem locum monuit Gernhardus: „Nonius s. h. v. *propter intuens.* Manutius recte defendit *prope*, in omnibus libris illud quidem servatum, quod adverbialiter positum non eget accusativo, ut *propter* adverbii naturam respuens.“

In qua re dupliciter erravit Gernhardus. Primum unius Nonii auctoritas in hoc quidem loco maior apud eum debebat esse quam omnium codicum.

Deinde falsum est, quod dixit, *propter* adverbii vice fungi non posse, quamquam secum habet consentientes librarios, qui saepe pro adverbio *propter* scripserunt *prope.* Sunt tamen loci, in quibus *propter* omnium nitatur codicum consensu, adverbialiter posi-

tum. Cfr. Terent. Eun. II, 3, 76. *Cibum nonnunquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.* Id. Adelph. IV, 3, 23. *Est ad hanc manum sacellum; ibi angiportum propter est.* In his autem duobus locis metrum etiam evertitur, si *prope* scripseris. Ipse autem Cicero eodem modo usurpavit *propter* In Verrem Act. II. Lib. IV. C. XLVIII. §. 107. *Etenim propter est spelunca quaedam.* De Nat. Deor. Lib. II. C. XLVII. §. 120. *Quin etiam a caulibus brassicisque, si propter sati sint, ut a pestiferis et nocentibus refugere dicuntur.* De Invent. Lib. II. C. IV. §. 14. *noctu accessit, et alterius eorum, qui sine nummis erat, gladium propter appositum e vagina eduxit.* De imp. Gn. Pompeii C. V. §. 13. *Vident unum virum esse et cum propter esse;* ibidem C. VI. §. 16. *Cum duo reges, cum maximis copiis propter adsint.* De his postremis locis, ex oratione de imperio Gn. Pompeii petitis, vide quae supra dixi p. LXIV. Quo loco nolui exemplis comprobare, *propter* non raro adverbialiter positum esse, quia neminem sperabam fore, qui de hoc *propter* adverbii usu dubitaret. Nunc autem, opinor, nemo ambiget, et in oratione Pompeiana, et in hoc de senectute libro Ciceronem *propter* scripsisse, cum hic non tantum Nonius eam scripturam tueatur, verum etiam codex Erfurtensis ipse habeat. Superscriptum tamen in codice Erfurtense a manu secunda est *prope*. Verum eadem manus etiam C. VI. §. 20.

Cedo, qui vestram rempublicam amisistis tam cito?

super *cedo* scripsit *dic*. Num hoc quoque pro vera scriptura habebitur?

Porro ab eadem manu superscriptum est, quod Ernestius et Gernhardus aliique multi editores in textum receperunt repudiato eo verbo, quod ipse codex Erfurtensis, quocum consentit Hittorpianus, inter verba Ciceroniana habet, C. XXIII. §. 86, qui locus ita scriptus legitur in editione Gernhardi:

Quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem peractio aetatis est, tamquam fabulae: cuius defatigationem fugere debemus, praesertim adiuncta satietate.

Codex igitur Erfurtensis pro *defatigationem* habet cum Hittorpiano *defectionem*, super quo verbo scriptum ab secunda manu est *v defatigationem*. Antequam de sensu utriusque scripturae iudicetur, hoc animadverti volo, codices Erfurtensem et Hittorpianum, quoties consentiant in aliquam lectionem, totiens fere genuinam Ciceronis manum servasse. Itaque vel propter praestantissimorum codicum auctoritatem recipienda vox *defectio* esset, licet sensum verborum quod attinet perinde esset, utra poneretur. Atqui unice a sensu confirmatur duorum illorum codicum scriptura, quam minime reiecisset Gernhardus, si totius loci sententiam recte intellexisset. Verba eius ad hunc locum scripta haec sunt:

„Guilielmus ex Hittorpiano cod. scripsit *defectionem*, quia histrio, inquit, deficit, cum eum vox et vires deficiunt, persuasitque Schützio, qui *defectionem* recepit hoc sensu: „cavendum, ne in senectute tamquam in extrema parte fabulae deficiamus, quod fieri facilius possit, quum vitae etiam satietas accedat.“ Hanc vero non *aetatis* defectionem dixisset, cuius culpa tribuenda esset naturae, v. c. 2, 5. neque *satietas* tum foret senis, sed spectatorum, id quod ab h. l. alienum est. Est vero *aetatis*, seu vitae, *satietas* ea, quam dixit extremo c. 20. ut *defatigatio* e gravi vitae opere perfungendo nascitur, nisi studiis animum erigas, ne in extremo actu corruas. Ita non opus est mutatione. Comp. C. II, 36. et Philipp. V, 20. *Nulla res ei finem caedendi, nisi defatigatio et satietas attulisset.*“

Ex hac nota apparet, Gernhardum verba, *cuius def. fugere debemus* hoc modo sibi interpretatum esse: impedire debemus animi exercitatione, quominus vires corporis extremo aetatis tempore consenescant. Atqui haec sententia alienissima ab hoc loco est, in quo Cicero minime docere vult auditores, quomodo tolerabilem sibi senectutem reddere possint, sed hoc unum agit, ut moneat, etiamsi non simus immortales, tamen exstingui homini suo tempore optabile esse, quia vitae terminus a natura constitutus sit. Iam verba *Senectus – satietate* nonnisi causam possunt continere, cur homini debeat optabile esse suo tempore exstingui. Ea autem optime a Cicerone haec est reddita, quod defectio virium, quam longinqua aetas necessario adducat, minime iucunda sit nec optanda, praesertim si

omnium rerum, quibus delectari soleant homines, satietate affecti simus. Nunc etiam addita vitae cum fabula comparatio, quam non perceperunt editores, quid sibi velit, facile patebit. Ut fabulae plures actus sint, sic vitae significat plures aetates esse; extremum autem fabulae actum eodem modo ac vitae, id est, senectutem debere comparatum esse; non debere nimis produci, ne languidus fiat et satietatem afferat; eodem modo longiorem senectutem non esse exoptandam, ne vires amittat rerumque omnium satietatem afferat. Iam vides *defectionem* egregium praebere sensum, referrique tum ad aetatem tum ad fabulam posse, sic ut *aetatis* defectio sit virium amissio, per longinquam aetatem necessario adducta, *fabulae* autem languor, qui iusto longius producta fabula efficitur.

Fugere autem cum iubemur *aetatis defectionem*, hoc nobis praecipitur, ut ne optemus vel exspectemus necessariam illam omnium virium amissionem, quae ex longinqua aetate oriatur, sed potius aversemur ideoque vitae terminum nobis optemus; eodemque modo *fabulae defectionem fugere* est non committere, ne nimis producta fabula omni vi destituatur ac languida fiat, sed suo tempore finem ei imponere. Contra *defatigatio* ineptam reddit sententiam, primum, quia ad fabulam referri nequit, deinde quod *defatigationem fugere* nihil potest aliud significare quam, *non committere, ne defatigemur*, id quod cum totius loci sententiae adversatur, tum inprimis verbis, quae sequuntur *praesertim adiuncta satietate*.

Rarius vero accidit, ut glossae in plerisque codicibus locum verborum, super quibus scriptae erant, occuparent, quam ut una cum verbis, quorum causa factae erant, a librariis reciperentur. Earum multis vacuus est codex Erfurtensis, et sine dubio alii etiam libri manu scripti, quamquam tacent editores, quibus plurium codicum copia fuit. Sed omnino tenendum est, nulla in re viros doctos superioris saeculi negligentiores fuisse, quam in commemorandis verborum omissionibus, quae in codicibus, quos conferebant, desiderabantur. Itaque certo equidem confido fore, ut denuo consultis codicibus aliisque diligenter collatis multi cum Erfurtense ita consentire reperiantur, ut eadem cum illo verba omittant. Ac nonnulla quidem recte iam textu eiecit Gernhardus, aliorum codicum auctoritate commotus, quibus nunc accedere Erfurten-

sem videmus; sed longe plura etiamnunc eiicienda sunt, quorum quaedam hic placet indicare.

C. I. §. 2. *Numquam igitur satis laudari philosophia poterit, cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia possit degere.*

C. X. §. 33. *Cursus est certus aetatis, et una via naturae eaque simplex; suaque cuique parti aetatis tempestas est data.*

Utroque loco omittit Erfurtensis nomen *aetatis*. Priore loco solus videtur omittere, posteriore plerosque libros manu scriptos secum habet consentientes. Nihilominus retinuit Gernhardus, puto propterea, quia Nonius sub v. *tempestas* habet. At ut supra maximam dixi Nonii auctoritatem debere esse, sic hoc quidem loco nulla fere est. Nam primum adhuc nescimus, num in optimis Nonii codicibus nomen illud addatur. Factum autem saepius est, ut ex interpolatis Ciceronis codicibus verba insititia in istos ipsos locos, quos alii scriptores afferebant, transferrentur. Cfr. Quint. Inst. Or. Lib. V. C. X. §. 93. et Lib. XI. C. III. §. 50. ed. Spald. p. 567.

Deinde ipsum etiam Nonium nexus causa verbum illud addere potuisse, minime est improbabile. Hic autem cum eodem verbo modo praecedente prorsus sit inutile, eorumque tantum codicum nitatur auctoritate, quos multis videmus interpolationibus corruptos, mirum est, quemquam a Cicerone esse scriptum iudicare posse. Eadem ratio prioris loci est, nisi quod unus, ut videtur, codex Erfurtensis nomen *aetatis* omittit.

C. III. §. 9. *Quae* (artes exercitationesque virtutum) *in omni aetate cultae, cum multum diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non solum quia numquam deserunt, ne in extremo quidem tempore aetatis* etc.

Omittit Erfurtensis *in* praepositionem ante *extremo*, quam equidem nescio an nunquam eo, qui hic requiritur, significatu Cicero nomini *tempore* addiderit. Nam *in tempore* cum dicitur, longe aliud quid denotari solet. Incredibile autem, quoties ab librariis vel interpretibus *in* praepositio absurdo modo addita sit. Sic C. IV. §. 12. v. 8. pro *omnia memoria tenebat* scribit Erfurtensis *omnia in memoria tenebat*; C. VI. §. 15. v. 9. pro *quae iuventute geruntur et viribus* scribit *quae in iuventute geruntur et viribus*;

C. XI. §. 38. v. 10. pro *Graecis litteris utor* scribit *in grecis litteris utor*; C. XII. §. 41. v. 11. pro *Caudino proelio* scribit *in caudino proelio*; C. XIV. §. 48. pro *sic adolescentia* scribit *sic in adolescentia*, et alibi.

In secundo horum, quos attuli, locorum Gernhardus tamen praepositionem *in* necessariam arbitratus textui intulit. Locus ita se habet:

A rebus gerendis senectus abstrahit? Quibus? an iis, quae iuventute geruntur et viribus? Nullaene igitur res sunt seniles, quae vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur?

Quo loco si addis *in* ante *iuventutem* mirum quantum languet verbum *viribus*, ad quod repeti praepositio nequeat, aeque ac si dicas, *welche in der Jugend und durch Kraft vollzogen werden.* Contra solum si ponis ablativum recteque explicas, optime consonant verba *inventute* et *viribus.* Explicandus autem ita *per iuventutem et vires.* Noluit tamen Cicero ea hic uti praepositione, quia nomine *iuventutis* significavit *robur iuvenile.*

C. IV. §. 12. *Multa in eo viro praeclara cognovi, sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem filii tulit.*

Perdit vim orationis verbum *est*, quod omittit recte codex Erfurtensis. Supplendum ad *admirabilius* verbum *cognovi.*

C. VII. §. 24. *Num philosophorum principes — coegit in suis studiis obmutescere senectus? an non in omnibus his studiorum agitatio vitae aequalis fuit? Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare.*

Verbum *studia* ante *omittamus* non habet Erfurtensis. Qui sapit, eiiciet.

C. IX. §. 29. *Mihi vero Gn. et P. Scipiones, et avi tui duo, L. Aemilius et P. Africanus, comitatu nobilium iuvenum fortunati videbantur.*

Non inutile tantum nomen *duo*, sed dissonum etiam, coniunctis sine necessitate tribus vocibus bisyllabis. Quo magis obsequendum auctoritati codicis Erfurtensis est, in quo licet scriptum reperiatur, tamen punctis notatum est, quibus delendum esse significatur.

C. X. §. 32. *Nec enim umquam tum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, mature fieri senem, si diu velis esse senex. Ego vero me*

minus diu senem esse mallem, quam esse senem ante, quam essem.

Omittit Erfurtensis post *quam esse* nomen *senem*, quod cum otiosum sit eiiciendum credo. Sed additum etiam ab interpretibus idem nomen post *si diu velis esse*. Utroque exterminato sermonem multo iucundiorem existere docti intelligent.

C. XII. §. 39. *Nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret.*

Etsi scio, *facinus* dici *malum* posse, dictumque a Tibullo esse, tamen hoc loco adiectivum illud non esse a Cicerone profectum, licet nullus meam sententiam codex confirmaret, sine dubitatione contendo, cum multo illud levius sit, quam quod sermonis gravitati conveniat, nec additum unquam sit praecedente verbo *sceleris*, quo satis cavetur, ne quis quod sequitur nomen *facinoris* in bonam partem accipiat. Omittit autem ineptum verbum illud codex Erfurtensis.

C. XX. §. 72. *Senectutis autem nullus est certus terminus, recteque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi et tueri possis, et tamen mortem non timere. Ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit quam adolescentia et fortior.*

Omittit Erfurtensis recte *senectus*.

C. XXII. §. 80. *Atque etiam cum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedant.*

Omittit Erfurtensis *morte*, quod ipsum verbum neque Xenophon Cyrop. Lib. VIII. C. VII. §. 20. quem hic interpretatus Cicero est, usurpavit scribens: *Διαλυομένου δὲ ἀνθρώπου δῆλά ἐστιν ἕκαστα ἀπιόντα πρὸς τὸ ὁμόφυλον πλὴν τῆς ψυχῆς*; neque ipse Cicero posuit C. XX. §. 72. eadem de re loquens ita: *Ut navem idem destruit facillime, qui construxit, sic hominem eadem optime, quae conglutinavit, natura dissolvit.*

C. XXIII. §. 82. *Sed nescio quomodo animus erigens se posteritatem semper ita prospiciebat, quasi cum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, haud optimi cuiusque animus maxime ad immortalitatem gloriae niteretur.*

Non habet Erfurtensis verbum *gloriae*, quod salva sententia omitti potuisse concedent, qui saepe-

numero verbum *immortalitatis* sic ut *gloriam immortalem* significaret usurpatum esse meminerint. Cfr. Cic. in Pison. C. III. §. 7. *immortalitatemque donavit*. Omissum autem revera hic a Cicerone esse ut credamus, faciunt plerorumque codicum scripturae, quarum mira diversitas non potest aliunde orta existimari, quam quod verbum *immortalitatis* simpliciter positum interpretibus variam interpretandi materiam suppeditarit. Habent enim decem codices Aldi et unus Cizensis B. *immortalem gloriam*; duo codices Memmiani *immortalitatem et gloriam*; Graevii codex, Pithoei MS., Cizensis C, et Britannicus *v immortalitatis gloriam*; reliqui *immortalitatem gloriae*.

Sed haec hactenus. Satis enim, quantum codici Erfurtensi statuendum pretium sit, ex his quae disseruimus intellectum iri arbitror. Cavebunt etiam futuri huius libri editores, ne ineptis illis interpretum glossis, quarum paucissimas ego nunc indicavi, Ciceronis opus diutius depravatum circumferri patiantur.

LAELIUS
SEU
DE AMICITIA.

Quod in libro de Senectute scripto factum vidimus, ut plurimae interpretum glossae ab librariis receptae nec dum ab editoribus exterminatae sint, idem in hoc de Amicitia opusculo evenit. Felici tamen casu accidit, ut primi huius libri editores eiusmodi uterentur codicibus, qui minus ferunt interpolati quam illi, ad quorum fidem primae Catonis maioris editiones typis excusae sunt. Hinc in recentioribus etiam editionibus aliquanto pauciora offendimus verba insititia quam in libro de Senectute conscripto. Sed cum etiam illi codices, ad quorum auctoritatem primae factae editiones Laelii sunt, minime ab omni interpolationum genere vacui sint, omninoque nullus exstare codex videatur, qui immunis interpretum glossis servatus sit, circumspiciendum diligenter est, num qui codices reperiantur, quorum auctoritate quae residuae glossae sunt sine dubitatione eiici possint.

Eiusmodi codex Erfurtensis est, qui quamquam abundat verbis insititiis, quibus vacui alii libri sunt, tamen quibusdam aliis, quae in omnibus editionibus Ciceroniano sermoni immixta reperiuntur, peroppor-

tuae vacat. Omnino praestantioribus libris manu scriptis, qui hoc Ciceronis opus continent, Erfurtensem adnumerandum iudico. Minus hic quam in Catone verborum collocatione a vulgatis editionibus recedit, nec scribit *ammirari*, *amminiculum*, et sim., ut in Catone, uno excepto loco, ubi *ammonentur* scriptum, verum semper *haut* pro *haud*. Passim secunda manus superscripsit, quorum alia correctiones sunt verborum, quae in textu posuerat librarius, alia explicationes receptae scripturae, alia denique additamenta, qualia interpretibus ad integritatem sermonis necessaria videri solent.

Verbis, quae correctiones sunt, semper fere praefixum signum *l'*, id est *vel*. Nec tamen umquam verba a prima manu scripta, quibus alia secunda manus superimposuit, punctis subnotata aut deleta reperiuntur, uno excepto loco, ubi id ipsum, quod deletum verbum est a prima manu positum, luculento indicio est, minime antiqui niti codicis auctoritate. Legitur locus, quem dico, C. XXIV. §. 89. et vulgo ita se habet:

Omnis igitur hac in re habenda ratio et diligentia est: primum ut admonitio acerbitate, deinde obiurgatio contumelia careat. In obsequio autem (quoniam Terentiano verbo lubenter utimur) comitas adsit; assentatio, vitiorum adiutrix, procul amoveatur, quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est: aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. Cuius autem aures veritati clausae sunt, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est.

Nemo editorum, quod mirari subit, sententiam verborum *in obsequio — comitas adsit* tum per se ineptam tum ab hoc loco alienam esse animadvertit. Per se inepta est, quod obsequium, peccatis amicorum, ut paullo ante Cicero dicit, indulgens, numquam non coniunctum cum comitate est, ita ut mirum sit, praecipi potuisse, ut ea tamquam diversa coniungantur, quae numquam diiuncta reperiuntur. Aliena ab hoc loco est, quod Cicero hic inde a §. 88. extr. amicos etiam monendos saepe et obiurgandos esse omninoque veritatem, licet suspicionum offensionumque causas det, in amicitia retinendam dicit. Obsequium autem, quod Terentius parere amicos ait, minime probat, sed molestissimum ait esse et grave, ut praeceps amicus feratur. Itaque vehemen-

ter secum pugnaret, si nunc subito non proberet tantum, verum etiam cum comitate coniungendum moneret. Immo necesse est, pro verbo *comitas* aliquid posuerit Cicero, quod oppositum quadam ratione obsequio sit. Atqui id ipsum superscriptum a manu secunda in codice Erfurtense est, expuncto verbo *comitas*. Superscripta enim verba *comes veritas*, quorum alterum *veritas* nemo profecto dubitabit quin ab ipso Cicerone sit scriptum. Incertum autem videri potest, num *comes* sit restituendum, cum insolens elocutio sit *in obsequio comes veritas adsit* pro *obsequii comes sit veritas*. Accedit, quod, si *comes veritas* scriptum fuisset, minus intelligitur, quomodo ea verba in *comitas* potuerint commutari. Itaque levi mutatione pro *comes* scribendum *comis* iudico, quod cum verbo *veritas* facillime in *comitas* depravari potuerit. Nam terminatio *is* saepenumero a librariis eo signo, quod apostrophus dici solet, indicata est. Exempla protulimus supra p. XXXVIII. extr. Idem factum in vetusto huius libri codice esse, apparet ex Erfurtensis libri lectione, §. 69. v. 3. pro *qualis* scribentis *qua vel*. Particula *vel* enim hoc compendio *l'* scribi consuevit. Verbum autem *veritas* ubique fere sic scribitur *uitas*, unde supra §. 88. a plerisque librariis in *utilitas* commutatum est. Iam si coniunxeris verba *com'uitas*, et signa superscripta deleveris, facillimo errore pro duobus illis verbis *comitas* potuisse scribi apparet.

Aptissima autem sententia redditur, restitutis verbis *comis veritas*, et prorsus consentiens cum iis, quae dicta §. 88. extrema sunt: *nam et monendi amici saepe sunt et obiurgandi; et haec accipienda amice, cum benevole fiunt.* Itaque *comis veritas* eius est, qui vera dicit cum quadam benivolentia.

Porro restituendi sunt ex auctoritate codicis Erfurtensis eiectis verbis insititiis hi loci:

C. II. §. 6. *Qualem in tota Graecia neminem.*

Dele *tota*. Exempla plurima verbi *totus* ab interpretibus additi dabo in commentario ad orationem Plancianam.

C. V. §. 18. *Concedant, ut hi boni viri fuerint.*

Dele *hi* et *viri*, licet posterius Erfurtensis non omittat. Sed omittunt alii libri suspectumque varia, quam in codicibus habet, sedo est.

C. VI. §. 20. *Beluarum hoc quidem extremum est.*
Dele *est*, in Erf. super *beluarum* positum.

C. XVI. §. 59. *Ut hoc, quemadmodum putaretur, a Biante esse dictum crederet.*
Delendum *esse.*

C. XIX. §. 70. *Retinent tamen caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt.*
Hic non inutile tantum verbum *esse*, quod iure omittit Erfurtensis, verum absurdam etiam sententiam reddit. Debebat certe ante *multos annos* poni.

C. XVII. §. 63. *Ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiae non anteponant?*
Delendum verbum *imperia*, quod saepissime interpretes similibus in locis addidisse, exemplis ostendam in editione mea orationis Ligarianae.

C. XIX. §. 67. *Verumque illud est, quod dicitur.*
Dele *illud.*

Ibidem §. 69. *Sed maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori.*
Interpretibus debetur *superiorem.*

C. XXI. §. 76. *Est etiam quasi quaedam calamitas in amicitiis dimittendis nonnunquam necessaria.*

C. XXIII. §. 88. *Sic natura solitarium nihil amat; semper ad aliquod tamquam adminiculum adnititur.*
Horum priore in loco *quasi*, posteriore *tamquam* eiicienda sunt.

C. XXI. §. 77. *Loquar enim iam, ut paullo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis.*
Delenda *enim* particula, ubique interpretibus obvia.

C. XXIV. §. 88. *Sic natura nihil solitarium amat; semper ad aliquod adminiculum adnititur, quod in amicissimo quoque dulcissimum est. Sed cum tot signis eadem natura declaret* etc.
Exterminanda vox *natura* ante *declaret* repetita.

Alia alii eiicient. Puto autem etiamnunc hic illic codices reconditos latere, qui si accurate fuerint consulti, magis etiam insititia apparebit esse, quae ego codicis Erfurtensis auctoritate eiicienda duxi.

Ita his ipsis diebus non sine magna voluptate ea omnia verba, quae in oratione Ligariana interpretibus deberi contendi, etiam in aliis libris manu scriptis, qui minime cum Erfurtense ex eodem censendi sunt

fonte fluxisse, desiderari cognovi. Quorum codicum nunc facerem mentionem, nisi eam ipsam orationem proxime edere decressem; ita ut inutile sit, ea iam hic expromere, quae in editione illa commodiorem locum invenient.

In uno tantum loco paululum erravi, quem errorem ne alii mihi obiiciant, ipse nunc corrigam. Legitur vulgo C. IV. §. 11.

Non habet eam vim ista accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Hoc egit civis Romanus ante te nemo. Externi isti sunt mores. Usque ad sanguinem incitari solet odium aut levium Graecorum, aut immanium barbarorum.

Verum est, quod dixi p. XXXII., confirmatumque aliorum, quorum penes me collatio est, codicum auctoritate, verba *Externi – barbarorum* in vetusto exemplari, quod fons fuerit codicum, qui ad nostram aetatem pervenerunt, sic debere scripta fuisse:

Externi isti mores usque ad sanguinem incitari solent odio aut levium Graecorum, aut immanium barbarorum.

Verum porro est, quod dixi p. XXXIII., etiam hanc scripturam non posse genuinam esse, depravatamque aliquo interpretum additamento esse. Sed falsum est, quod putavi verba *aut levium Graecorum, aut immanium barbarorum* ab interprete esse addita, quae nunc scio ipsum scripsisse Ciceronem. Contra pro certo nunc affirmare possum, verbum *solent* interpretibus deberi, ac fuisse pristinam Ciceronis manum hanc:

Externi isti mores, usque ad sanguinem incitari odio, aut levium Graecorum, aut immanium barbarorum.

Hic etsi finem imponere praefationi possem, tamen ut solvam promissum, quod supra p. XLII. dedi, necesse est, ut cum viris doctis communicem, quae mihi videatur verbi *diribere* et quae inde derivata sunt verborum significatio esse.

DISSERTATIO
DE
VERBO *DIRIBERE* EIUSQUE DERIVATIS.

Verbum *diribere*, in re comitiali potissimum ac iudiciali usurpatum, adhuc omnes viri docti, uno excepto Abramio, eum putaverunt significatum habuisse, ut a notione verbi *distribuere* nihil discreparet. Cfr. Nic. Gruchius de Com. Rom. Lib. I. C. III. p. 563. *sq.* ed. Graev. et C. IV. p. 608., Nieupoortus Rituum Rom. succ. explic. ed. VI. p. 60., Schwarzius Obss. ad G. H. Nieupoorti Comp. Ant. Rom. p. 142. *sq.*, Graevius ad Cic. or. in Pison. C. XV., Gesnerus ad Varron. de R. R. L. III. C. V. p. 535., Ferratius in Epp. Lib. III. ep. 5. p. 152. *sq.*, Adamus in Handbuch der Röm. Alterth. bereichert von J. L. Meyer. T. I. p. 180., Joh. G. Heineccius Ant. Rom. Synt. denuo ed. ab Hauboldo. Lib. I. Tit. II. §. 10. p. 59., Ernestius in Clavi Cic. sub voce *diribere* et *diribitor*, Schulzius in Volksvers. d. Römer. p. 267. *sq.*, Creuzerus in Abriss der Röm. Ant. p. 118. *sq.*, et Orellius ad Cic. or. Planc. C. XX.

Horum plures, quibus nolui adnumerare Garatonium, cuius sententia incerta sit et ambigua, non solum quid significet *diribere* exponunt, verum vehementer etiam Abramii reprehendunt iudicium, qui verbo illi notionem *separandi* tribuerit. In quaestione, qualis haec est, admodum difficili et lubrica iure postulari solet, ut quid viri gravissimi censuerint, contra quos pugnetur, ipsis eorum verbis cum lectoribus communicetur.

Itaque primum Gruchii appono verba, qui p. 563. *sq.* monuit:

„In omnibus Centuriatis comitiis reperio fuisse diribitores, rogatores, custodes, et praecones. Erant autem diribitores, qui tabellas populo per Centurias ministrabant. — Hi diribitores a diribendis, hoc est, distribuendis tabellis, diribitores appellabantur. Unde etiam in iudiciis reperimus diribitas tabellas, cum singulis iudicibus datae erant tabellae. Ut in Pisonem C. XL. et lib. III. Epistol. ad Quintum fr. 4. Qui igitur populo tabellas diribebant in comitiis, diribitores appellabantur. Horum meminit Cicero post red. in Senatu C. XI. et in Pisonem C. XV. Illud etiam apud eum in oratione pro Plancio C. VI. scribitur."

Haec Gruchius, in cuius verbis hoc tantum mihi permisi, ut verba omitterem ex Cicerone allata, quae infra apponentur.

Graevius in orationem Pisonianam C. XV. ad verbum *distributores* (sic enim ille pro *diribitores* legit) disputat contra Abramium ita: „*Distributores* sunt iidem, qui *diribitores*, qui suffragiorum tabellas distribuebant civibus. Sic et oratione post reditum in Senatu: *Quando illa dignitate rogatores, distributores, custodesque vidistis?* Verbose hic disputat Abramius contra Nic. Gruchium, qui I. de comitiis cap. 3. censet diribitores fuisse, qui populo tabulas [lege *tabellas*] per centurias ministrarent, cum ille statuat diribitores fuisse, qui tabellas in cistam coniectas diriberent, et secernerent. Fundus huius suae sententiae est, tabellas suffragia ferentium domi scriptas secum illos tulisse in comitia, non accepisse a diribitoribus in comitiis. Propter prolixitatem Abramii verba non adscribo, sed eius tamen argumenta ponderabo. Hoc ille primo probat ex ep. 11. lib. I. ad Atticum: *Cum dies venisset rogationi ex S. C. ferendae*, etc. *totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis: et populum, ut antiquaret, rogabant. Piso autem Consul lator rogationis, idem erat dissuasor: operae Clodianae pontes occuparant, tabellae ministrabantur, ita ut nulli daretur* UTI ROGAS. Ex his verbis Gruchius recte colligit, satis liquere fuisse quosdam qui tabellas populo ministrarent. Sed plane contrarium ex illis confici posse putat Abramius, nimirum operas et servos pontem occupasse, et per vim extorsisse populi suffragia. Quod quomodo ex his verbis extorqueri possit, ipse viderit. Quo pacto potuerunt in pontibus occupatis operae Clodianae ministrare tabellas suffragia laturis, si hi illas secum domo attulerunt? Sententia huius loci est sole meridiano clarior. Homines mercenarii a Clodio conducti in illis comitiis erant *diribitores*, qui civibus per pontes ituris non dabant tabellam, cui inscripta erat *U. R. uti rogas*, sed in qua tantum erat A. hoc est *antiquo*, ut dudum rectissime docti viri exposuerunt. Subiicit post Abramius Varronis locum, qui III. de Re Rustica cap. 2. scripsit: *Comitiis aedilitiis cum sole caldo ego et Q. Axius senator tribulis suffragium tulissemus, et candidato, cui studebamus, vellemus esse praesto, dum domum rediret, Axius mihi: Dum di-*

ribentur, inquit, suffragia, vis potius villae publicae utamur umbra. Clare, inquit Abramius, nisi fallor, ostendit Varro diribitionem fieri solitam latis iam suffragiis. Fallitur certe Abramius. Axius et Varro in centuria aut praerogativa, aut in primis iure vocatis suffragium tulerant. Interea dum ceteris centuriis tabellae diriberentur umbrae caussa secesserant in villam publicam, ut cum omnes centuriae tulissent suffragia, candidato domum eunti officium praestarent. Sed, pergit Abramius, quod si ministratae fuissent, non diversa manu, sed vel una vel paucis scriptae essent, scilicet tabellae. Unde haec colligit? Num credibile est, tantam tabellarum copiam unum aut paucos scripsisse? an non vero similius, quamlibet centuriam habuisse, qui tabellas signarent, quae praebebantur diribitoribus distribuendae? Hinc facilius explicatur locus Plutarchi in Catone Uticensi de aedilitate Favonii, quem et ipse et Grucchius adtulerunt; qui scribit Catonem in illis comitiis, in quibus repulsam tulerat Favonius, animadvertisse fraudem irrepsisse, quod omnes tabellae una manu scriptae fuissent. 'Si ministratae fuissent, ait Abram. non diversa manu, sed una vel paucis scriptae debuissent esse. At hoc est absurdum. Quia centurias omnes eadem manu scriptas tabellas habuisse deprehendit Cato, inde coniecit, ab uno homine omnes tabellas esse confectas, et diribitoribus datas, cum singulae centuriae aut saltem tribus, nam et his locus est in comitiis centuriatis, suas haberent tabellas a diversis diversa manu scriptas. Verum domi scriptae tabellae, quas domo quisque secum adportavit in comitia, ut existimat Abram., quomodo potuerunt una manu scribi, aut quomodo singuli cives in tanta multitudine potuerunt domi suae habere tabulas, quas unus homo scripsit? Frustra equidem Abramius impugnat Grucchium, cuius sententia nihil verius."

Haec Graevius, cuius errores, quos plurimos in hac nota commisit, quantum necesse est, infra corrigam. Ernestii verba, quae huc pertinent, infra apponam. Creuzerus autem l. l. p. 119. not. haec scripsit:

„Varro de R. R. III, 2, 1. p. 274. Schneid. „dum dirimentur suffragia," wo andere dirimuntur, andere diribentur lesen. Unterschied zwischen *diribere* und *dirimere* bei den tabellis und suffragiis: Ernesti Clav. Cic. in diribere, wo Ernesti die Meinung des Grucchius de Comitiis vertheidigt. Dagegen

hat er und haben Andere desselben Grucchius Verbesserung in der Stelle des Cicero pro Plancio cap. 6., die von Graevius so bündig vertheidigt war, und auch die Erfurter Handschrift bestätigt hatte, verlassen, und anstatt nihil quod *diribitio* geschrieben n. q. *diremtio*. Ja man hat sogar an der Latinität jenes Wortes gezweifelt. Aber seitdem hat auch der treffliche und vom trefflichen Garatoni gewürdigte Codex von Tegernsee diese Lesart bestätigt (s. Gasp. Garatonii ad Cic. Or. pro Planc. Curae secundd. p. 9. und p. 37.). Liest man aber nun folgende Stelle des Symmachus Laudd. in Patres III. p. 40. ed. princ. Mediol.: „abest cera turpis, diribitio corrupta clientelarum cuneis, sitella venalis" und vergleicht man Cicero's Fragment Cornel. I.: „dum tabellae diribentur, dum situla fertur"; so wird vollends, denk' ich, kein Zweifel mehr übrig bleiben."

Ambiguum iudicium Garatonii est, qui in or. Planc. C. VI. ita disserit:

„Videntur proprie *diriberi* tabellae, cum dantur unicuique suffragium laturo, *dirimi* autem, cum separantur, lato suffragio, et ad candidatorum numerum dispertiuntur, ut quot ad quemque pertineant, intelligatur: hinc suffragia proprie *dirimi*, non *diriberi*. Sed quoniam in hac ipsa diremtione distributio fit atque divisio, *diribere* pro *dirimere* non erit absurdum. Imo *diribitores* non modo tabellas ministrasse, verum etiam numerasse suffragia traditur in perveteri adnotatione, quam profero ad C. XV. in Pison., et est verisimile: ut etiam totum eorum munus videatur diribitio appellari. Ergo ii *diribent*, etiam cum dirimunt. Haud tamen putem *diribere tabellas* pro dirimere usurpatum fuisse, ne res tam diversae una formula significarentur, quod vidit recte Gesnerus. At si dicatur, *diribere suffragia*, nulla est ambiguitas. Hic autem non *diribitionem* absolute, sed suffragiorum *diremptionem* intelligi, Ferratio concesserim. Eadem ratio est alterius loci c. 20. ubi *tribus diribitae* h. e. earum suffragia, in solo Erf., in ceteris descriptae. Ita boni codices apud Varronem priore loco *dum diribentur suffragia*, ubi alii *dirimuntur*."

Sententia igitur Garatonii, hoc loco prolata, paucis verbis haec est: *diribere suffragia*, significare etiam potuisse, *numerare suffragia*, sed *diribere ta-*

bellas semper significasse *distribuere tabellas* suffragium laturis.

Idem in orat. Pis. C. XL. §. 96. haec commentatus est:

„*Dum tabellae de te diribeantur* duplicem habet sensum: certus est unus, proprius, pervulgatus, dum de te iudices mittantur in consilium: incertus alter, haud tamen alienus a verbo, dum sententiae iudicum de te latae dirimantur, ut appareat condemnatio. Gruchium quidem Graevius, aliique bene defenderunt; vide ad c. 15. Sed nemo potuit illum Abramii sensum absurdum ostendere. Prior sensus difficultatem habet in numero tabellarum. Si enim tres tabellae unicuique iudici dabantur, una damnationis, altera ad absolvendum, ad ampliandum tertia, ut communis opinio fert, iudices XXV. Tullius heic numeraverit: quam paucitatem, tribus praesertim ordinibus iudicantibus, incredibilem dixeris. Exempla, quae viri docti iam collegerunt, hunc numerum plane convellunt. Eos vide ad c. 27. pro Cluent. et I. ad Att. 16. Is ergo sensus omnino postulat, ut statuamus, unam singulis iudicibus tabellam ministrari consuevisse, in qua notis illis usitatis sententiam suam ipsi perscriberent. Neque huic opinioni repugnant ea, quae tradit Asconius ad Divin. 7., aut ipse Cicero tum ibi, dum ait, *ceratam unicuique tabellam dari*, tum pro Cluent. 58. *cum illam iudicandi causa tabellam sumpserit*, pro Flacco 39. *cum tabella vobis dabitur, iudices*, et pro Rab. Post. 5. *datur tibi tabella iudicii.* Quod si opinionem illam de tribus tabellis repudiare non licet, tum alter adoptandus erit cum Abramio sensus: cum enim iudices, tribus acceptis tabellis, unam tantum oporteret in urnam quemque ordinis sui coniicere, manifestum est, LXXV. tabellas pro numero iudicum in urnis coniunctas dirimi et separari debuisse, ut ex maiore sententiarum parte de reo pronuntiari posset. Accedit, quod prior ille sensus alterum exterminare videatur ab usu communi: si enim tot dentur tabellae, quot dirimuntur, easque *diribere* tam dare sit, quam dirimere, utrum velit Cicero significare, nemo umquam intellexerit. Contra, si tabellae CCXXV. dari tum consueverint, dirimi autem LXXV. adiectio numeri significationem rei facile determinabit. Itaque sic plane intelligendum est, si *diribeantur* legimus, quomodo ante Abramium in-

tellexerat Pighius ad Val. Max. IX, 12, 7. Hoc tres tabellae postulant, sive, ut aliquando erant, duae: hoc ambigui ratio, quod ex duplici admisso verbi sensu exoritur: hoc denique melior suadet accuratiorque loci sententia. Exitus enim iudicii legibus constituti, qui diremtis demum tabellis cognoscitur, a quo nullius innocentiam aut improbitatem pendere, declaratum modo fuit exemplis, non esse dicitur eo in homine exspectandus, quem iam universi damnarint. Iam vero ego ita disputem. *Diribere tabellas* de utraque re dici non debuit, quidquid Vossio T. I. Etym. p. 249. ed. Neap. aliisque videatur. Si diremptio excluditur, quod videtur hactenus probabilius, sola remanet distributio. Tum autem vix fuerit, ut sensus, haud ille quidem absurdus, verum ab usu remotus, per adiuncta, quae ambiguum tollerent, arcesseretur. Iam eas formulas, *diribere suffragia*, *diribere sententias*, id efficere dixeris, quod nimium fuerit, ut *diribere* semper valeat secernere, in ordinem redigere ac numerare, numquam dando dividere. Atqui loci, ex quibus eruuntur, varietatibus obsiti sunt, et haud minus offerunt *dirimere*. De suffragiis vidimus ad c. 6. pro Planc.; de iudicum sententiis unus exstat locus ille Valerii, quem modo indicavimus. In eo, *dum sententiae dicerentur*, ferri non potest; non enim dicebantur, sed per tabellas occulte ferebantur: vide, si lubet, Georg. Arnaldum II. Var. Coni. 27.. MSi quatuor verae lectionis interpretationem habent, *ordinarentur*. Ipsa lectio ex optimis codicibus eruenda, quorum alter Gemblac., cum *dirivarentur* habeat, alter Atrebat. *diruirentur*, tam inde licet *diriberentur* cum Pighio legere, quam *dirimerentur*. Cum haec ita sint, in Sigonii sententiam inclino, qui hunc locum proferens II. de Iudic. 22. exhibuit *dirimantur*, quasi sic ederetur: sed eius emendatio est, ei consentanea, quam fecit III. ad Q. Fratrem 4. et quam plerique cum Malaspina et Ernesto sequuntur. Ibi enim pro *diruptis tabellis* legit *diremptis*, cum non de distributis inter iudices, verum de separatis ad pronunciandum, quid statuerint de Gabinio, tabellis agatur."

Haec Garatonius, quem apparet ambigere, utrum verbum *diribere* distribuere tabellas, an secernere et numerare suffragia denotarit.

Certius iudicium Abramii est, qui ad idem C. XL. or. Pison. scripsit:

„Superius ad c. 15. contra Grucchium ostendimus, diribitionem fieri latis iam a populo suffragiis, et *diribere* idem esse, atque tabellas suffragantes in comitiis a refragantibus secernere, earumque subducere rationem: sic et *diribere* tabellas in iudiciis, non videtur idem esse atque subministrare tabellas iudicibus, quas in urnam deinde coniiciant, sed idem esse, atque confecto iudicio, latisque sententiis tabellas condemnantes ab absolventibus separare, et earum numerum inire."

Errat aperte Abramius, quod, ut supra Graevius nos docuit, propterea negat *diribere* posse significare distribuere tabellas in suffragium ituris, quia non ministratae populo tabellae sint, sed ab eo domo in comitia allatae. Eam enim sententiam recte Graevius absurdam appellavit, quippe cui diserta etiam veterum scriptorum testimonia refragentur. Contra significatum, quem tribuit Abramius verbo *diribere*, male tributum esse, nullo Graevius argumento comprobavit. At enim, inquiet Creuzerus, gravissimum, quo Abramii refutatur sententia, argumentum protulit Ernestius in Clav. Ciceroniana. Itaque audiamus Ernestium, qui sub v. *diribere* haec habet:

„*DIRIBERE*. distribuere. Fr. Corn. I. *dum tabellae diribentur, dum situla defertur.* Pison. 40. *an ego exspectem, dum de te LXXV. tabellae diribeantur, de quo iam pridem omnes mortales iudicaverunt.* Uterque locus mirifice faciunt ad convellendam Abramii sententiam, qui ad h. l. et ad Pison. c. 15. disputabat contra Grucchium, *diribere* esse *secernere suffragia*, quae a iudicibus aut populo, sc. per tabellas, lata sint. Nam in primo tabellae *diriberi* dicuntur ante, quam situla delata dicatur, in quam tabellae mittantur; in altero, quod ante dicitur, *tabellae diribentur*, sc. iudicibus sententiae ferendae causa, ut nos cum Gruchio interpretamur, id statim dicitur *iudicare*. In loco Pis. 40. MSS. habent *diripiantur*. v. Graev. ad h. l. et Intt. ad Varron. R. R. III. 5."

Nihil nunc dicam de loco ex or. Pis. C. XL. allato, quem certe non contra Abramium facere, prolixe Garatonius iam docuit. Verum diligenter exponendum de Fr. or. Corn. I. est, quod ita sane se

habet, ut unice videatur eorum confirmare sententiam, qui *diribere* putant *distribuere* notare. En totum locum, quemadmodum in edit. Ern. Vol. IV. P. II. p. 1046. scriptus exstat:

Est utique ius vetandi, cum ea feratur, quamdiu non perfertur; quamdiu qui suffragii ferundi causa conveniunt, huc et illuc transferuntur; dum privati dicunt; dum tabellae diribentur; dum sitella defertur; dum aequantur sortes; dum sortitio fit; et si qua sunt huius generis alia.

Quo magis pateat sensus fragmenti, quod valde corruptum est, Asconii adscribo verba, explicationi eius inservientia. Is haec habet:

His peractis, cum id solum superest, ut populus sententiam ferat, iubet unumquemque is, qui fert legem, discedere; quod verbum non hoc significat, quod in communi consuetudine est, de eo loco, ubi lex fertur, sed ut in suam quisque tribum discedat, in qua est suffragium laturus. Populus enim confusus, ut semper alias, ita et in concione.

Exponit igitur isto fragmento Cicero, quamdiu ipso comitiorum die liceat intercedere, quominus lex ab eo, qui praeest comitiis, perferatur, memoratque nonnulla, quae dum fiant, ius intercedendi esse ait. Eo refert, secundum Ernestii recensionem fragmenti, privatorum conciones, qui legem suadendi vel dissuadendi causa verba faciebant, tabellarum diribitionem, sitellae delationem, aequationem sortium, sortitionem ipsam et alia. Quae omnia antequam populus in tribus suas, si erant comitia tributa, discedere iuberetur, facta esse, disertis verbis Asconium monuisse vidimus.

Itaque certissimum est, verba *dum tabellae diribentur*, non posse ullo pacto eo sensu accipi, quem Abramius verbo *diribere* subesse statuit, quippe cum tabellarum vel suffragiorum numerationem ante, quam populus in tribus suas discederet ferretque suffragia, fieri non potuisse sponte intelligatur.

At castiganda profecto editorum recentiorum socordia est, qui nihil monito lectore Ciceronis orationi verba *tabellae diribentur* inseruerunt, quae e mera Patricii coniectura profecta sunt. Inserenda autem putavit Patricius, cuius notam Graevius Oratt. T. VI. p. 962. *sq.* cum lectoribus communicavit, propterea, quod in suo, ut ait, Asconio ante verba *dum sitella defertur* particulam *dum* addito asterisco, lacunae

signo, scriptam invenerit. Quae particula ut indicet aliquid excidisse, minime tamen istiusmodi verba lacunae explendae causa recepta oportuit, quae a Cicerone non potuisse hic scribi luculenter potest ostendi. Nam posito, ut *diribentur* significet, id quod putavit Patricius cumque eo Ernestius, *distribuuntur*, quomodo tandem inter ea, quae fiant, antequam populus in tribus suas discedat, tabellarum ministratio memorari potuit, quam tum denique esse factam, cum populus tributim ad pontes, per quos in septa *) intrabat, accederet, omnes sciunt, qui aliquam comitiorum Romanorum notitiam habent?

Ex inepto igitur interpretis additamento Ernestius, quem multi sunt alii viri docti secuti, significatum verbi *diribere* eruit. Qui si Graevii modo consuluisset editionem et commentarium, tam falsa de notione verbi illius scribere vix potuit. Is enim quemadmodum omnino in recensendis Ciceronis scriptis multo magis quam Ernestius veterum codicum auctoritatem est secutus, ita etiam fragmentum illud non est *ausus* Patricii interpolatione depravare.

Erravit etiam Ernestius in explicandis verbis *dum sitella defertur*, quem tamen errorem, a multis aliis commissum, ne a proposito nimium recedat dissertatio nostra, postea corrigam.

Examinandi iam reliqui sunt loci, ubi verbum *diribere* et *diribitor* usurpatum reperitur. In quibus omnibus cum numquam consentiente codicum auctoritate nitatur, ante omnia ubique de scripturae veritate erit agendum. Loci autem hi sunt:

Cicero pro Plancio C. VI. §. 14.

Nam si, quotiescumque praeteritus erit is, qui non debuerit praeteriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari: nihil iam est quod populo supplicetur, nihil quod diribitio, nihil quod supplicatio magistratuum, renunciatio suffragiorum exspectetur.

Idem ibidem C. XX. §. 49.

---

*) Ne quis me ignorare suspicetur, quid significent *septa*, monendum est, me proxime eo de verbo expositurum esse. Falsa sunt enim, quae cum alii viri docti, tum nuperrime G. C. Reiffius proposuit in libro, cuius titulus est: Geschichte der Röm. Bürgerkriege etc. Berol. 1825. Th. I. p. 113. sq.

Vocatae tribus; latum suffragium; diribitae, renunciatae: longe plurimum valuit Plancius.

Idem in Pison. C. XV. §. 36.

Hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum. Et quod in honoribus vestrorum propinquorum non factis, vel aetatis excusatione vel honoris, id in salute mea nullo rogante vos vestra sponte fecistis.

Idem post red. in Sen. C. XI. §. 28.

Quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiae totius ordinumque omnium, quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis?

Idem in Pison. C. XL. §. 96.

An ego exspectem dum de te quinque et septuaginta tabellae diribeantur, de quo iam pridem omnes mortales omnium generum, aetatum, ordinum iudicaverunt.

Idem ad Quintum fr. Epp. L. III. ep. 4. §. 1.

Quid plura de iudicibus? duo praetorii sederunt, Domitius Calvinus: is aperte absolvit, ut omnes viderent; et Cato: is diribitis tabellis de circulo se subduxit et Pompeio primus nunciavit.

M. Varro de R. R. L. III. C. II. §. 1.

Comitiis aedilitiis cum sole caldo ego et Q. Axius senator tribulis suffragium tulissemus, et candidato, cui studebamus, vellemus esse praesto cum domum rediret: Axius mihi, Dum diribentur, inquit, suffragia, vis potius villae publicae utamur umbra, quam privati candidati tabella dimidiata aedificemus nobis?

Idem ibidem L. III. C. V. §. 18.

Cum haec loqueremur, clamor fit in campo. Nos athletae comitiorum una cum id fieri non miraremur propter studia suffragatorum, et tamen scire vellemus, quid esset: venit ad nos Pantuleius Parro. Narrat ad tabulam cum diriberent quendam deprehensum tesserulas coniicientem in loculum; eum ad consulem tractum a fautoribus competitorum. Pavo surgit, quod eius candidati custos dicebatur deprehensus.

Valerius Max. L. IX. C. XII. §. 7.

Consimili impetu mortis C. Licinius Macer, vir praetorius, Calvi pater, repetundarum reus, dum sententiae diriberentur, in menianum conscendit.

Ausonius ad Grat. Imp. Grat. Act. p. 705. ed. Toll.

Consul ego, Imperator Auguste, munere tuo, non passus septa, neque campum, non puncta, non loculos; qui non prensaverim manus, nec consalutantium confusus occursu aut sua amicis nomina non reddiderim, aut aliena imposuerim; qui tribus non circumivi, centurias non adulavi, iure vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nil pepigi.

Symmachus Laudd. in Patres III. p. 40. ed. A. Mai.

Intelligamus nostri saeculi bona: abest cera turpis, diribitio corrupta clientelarum cuneis, sitella venalis.

His locis, in quibus omnibus de comitiis iudiciisque sermo est, accedant alii duo, in quibus alia de re verbum *diribere* usurpatum reperitur.

Appuleius Metam. II, 32. p. 137. ed. Oudend.

Hic vitrum fabre sigillatum, ibi crystallum impunctum; argentum alibi clarum, et aurum fulgurans, et succinum mire cavatum in capides, ut bibas; et quicquid fieri non potest, ibi est. Diribitores plusculi, splendide amicti: fercula copiosa puellae scitule subministrare, pueri calamistrati pulcre indusiati, gemmas formatas in pocula vini vetusti frequenter offerre.

Plinius H. N. L. XXXVI. C. XV.

En hic est ille terrarum victor, et totius domitor orbis, qui gentes et regna diribet, iura externis mittit.

Omnibus his locis in universum tenendum est, optimos quosque et antiquissimos codices interpolationibusque immunes lectionem, quam posui, confirmare, peiores vero et recentiores, glossisque depravatos pro verbo, quo de agitur, aut eiusmodi, quo illud explicari sit solitum, habere aut plane corruptum, quod tamen ipsum proxime ad verbi *diribere* ductus accedat. Itaque profecto absurdum est, licet unus tantum codex *diribere* exhibeat, aliorum praeferre codicum lectiones, praesertim cum videamus, verbum illud, rarissime usurpatum, librariis plerisque plane incognitum fuisse ideoque cum aliis nominibus ab indoctis ubique fere esse commutatum. Statuere

autem, fuisse librarios, qui pro aliis verbum *diribere* posuerint, hominis est ratione non ut entis.

Iam in orat. Planc. C. VI. §. 14. *diribitio* est in codicibus praestantissimis omnium, quotquot illam servarunt posteris orationem, in Bavarico et Erfurtense, quibuscum consentiunt quatuor Britannici C, H, S, T. Idem etiam Petrus Victorius margini editionis Aldinae adscripsit. Reliqui codices paene omnes *direptio*, omnes certe, quorum penes me collatio est, tres Monacenses, totidem Laurentiani, totidemque Parisini, et Dresdensis. Unus Britannicus *directio* habet. Errat autem Garatonius, qui verbum *direptio* nil nisi depravationem scripturae *diremptio* iudicat. Mirum enim foret, si verbum illud saepe obvium a tot librariis mutatum esset, mirabilius etiam, si ex eo quisquam *diribitio* fecisset. Verbum autem *diremptio* etsi est in editionibus aliquot antiquis, ex nullo tamen codice diserte enotatum est. Imo certissimum est *direptio* ortum ex *diribitio* esse, cum, ut ex multis patebit locis, *diribere*, *diribitio*, et *diribitor* ab indoctis librariis saepissime in *diripere*, *direptio*, et *direptor* mutata sint.

In orat. Planc. C. XX. §. 49. iidem libri praestantissimi, Bavaricus et Erfurtensis, tuentur *diribitae*, reliqui habent *descriptae*, tribus exceptis Britannicis C, T, χ3, in quibus *rescriptae* est. Utrumque verbum et *descriptae* et *rescriptae* a sensu loci alienissimum esse, originemque duxisse ex glossa super verbo *diribitae* scripta, infra ad liquidum perducam.

In orat. Pison. C. XV. §. 36. codex omnium, qui orationem illam continent, antiquissimus, Vaticanus *diribitores* habet, quocum recte Garatonius etiam alios facere codices ex eo colligit, quod idem Naugerius in textu posuit, quem alii sunt secuti editores. Erfurtensis et, quantum scio, reliqui omnes scriptum reliquerunt *distributores*. Eos ipsos autem codices, qui *distributores* habent, saepius in illa oratione glossas pro genuinis verbis scripsisse, supra ostensum est p. XLI. sq. p. XLV. et p. XLVII.

In orat. post red. in Sen. C. XI. §. 28. plerique libri *diribitores* servarunt, unde constanter editores hanc receperunt lectionem. Tueretur etiam solus Vaticanus, quem in loco illo orat. Pisonianae, quocum hic congruere debet, *diribitores* scribere vidimus. Erfurtensis tamen duoque Britannici H et S habent

diribitores. In Erfurtense superscriptum *l direptores*. Ea luculentum testimonium, saepenumero a librariis, id quod paulo ante contendi, *diribitores* in *direptores* mutatos esse.

In orat. Pison. C. XL. §. 96. *diribeantur* mera quidem Turnebi coniectura in Adv. XXI, 15. proposita nititur, sed ea tam certa, ut recentiores editores ad unum omnes in textum eam recipere non dubitarint. Nam quod libri manu scripti consentienter praebent *diripiantur* sensu cassum est, neque aliam quam Turnebi admittit mutationem. Animadverte autem, hic quoque *diribere* cum *diripere* a librariis confusum esse.

In Epp. ad Quintum fr. III. 4, 1. pro *diribitis* omnes videntur codices *diruptis* habere, quod cum a sensu prorsus reprobetur, quaeri tantummodo potest, utrum *diremptis* an *diribitis* scribendum sit. Verum quod supra iam negavi, verbum frequentissime usurpatum *dirimere* vix tam constanter potuisse depravari, id in hunc quoque locum cadit. Accedit, quod, ubi sententiae accommodatum verbum *dirimere* est, ubique fere codices id magno consensu praebent. Itaque confido, fore, ut collatis praestantioribus codicibus ea ipsa, quam probo, scriptura confirmetur.

In Varron. de R. R. III, 2, 1. verbum *diribentur* duo codices antiquissimi praebent, reliquis *dirimerentur*, *dirimuntur*, et *dirimentur* exhibentibus.

Ibidem III, 5, 18. *diriberent* denuo antiquissimus, quem Victorius usurpavit, codex confirmat. Quocum consentire putandi sunt libri, ita a Schneidero insigniti, W. I. B. R. Br. et codex Ursini, in quibus omnibus *diriperent* est. Nihili est, quod legitur in A. Junt. G. *decumberet*. Schneiderus quod scripsit, *dirimerent*, unde depromptum sit ignoramus.

In Val. Max. IX, 12, 7. quid libri praebeant, ipsis Pighii verbis dicam. Is monuit: „Susii et Pulmanni codices habent, *Dum sententiae darentur*. Male. In Cauchiano, *ordinarentur* glossema est. Sed in Gemblacensi legimus, *dirivarentur*, in Atrebatensi autem, *diruirentur*. Quae lectionis antiquae sunt vestigia; scribendum enim autumo: *Dum sententiae diriberentur*." — His addenda, quae Abr. Torrenius adnotavit: „*Dicerentur* inveni in MSS. undecim; *ordinarentur* in Utrai. prim. et Leid. quart.; *daren-*

tur in Paris. primo." — *Ordinarentur* Vorstius etiam in altero Br. invenisse se scribit.

Iam vero *dicerentur*, ut recte monuit Garatonius ad Cic. orat. Pison. C. XL., ferri non potest propterea, quod sententiae non dicebantur illo in iudicio, sed per tabellas occulte ferebantur. *Darentur*, quod tres habent libri, et *ordinarentur*, quod in quatuor est codicibus, qui comparaverit cum reliquis lectionibus, nisi prorsus artis criticae imperitus est, necesse est interpretationes insolentioris verbi esse intelligat. Istius autem insolentioris verbi vestigia manifestissima sunt lectiones *dirivarentur* et *diruirentur*. Quarum prima, *dirivarentur*, si memineris varietatem lectionis, quam paullo ante ad orat. post red. in Sen. C. XI. notavimus, ubi pro *diribitores* in quibusdam codicibus erat *dirivatores*, vel invitos nos cogit, ut in antiquis libris *diriberentur* fuisse scriptum putemus. Eodem modo in Appuleio pro *diribitores* librarios nonnullos *dirivitores* scripsisse videbimus. Altera *diruirentur* non minus vestigium est certissimum verbi *diriberentur*, quemadmodum in eodem illo Appuleii loco in codd. nonnullis *diruitores* pro *diribitores* est scriptum. Hanc autem si credimus genuinam fuisse scripturam, unde *ordinarentur* omnmoque tota lectionis varietas orta sit, perspicue intelligitur. Contra nullam harum scripturarum talem esse, quae *dirimerentur*, quod Sigonio de Iudic. II, 22. et Garatonio ad orat. Pis. C. XL. restituendum visum est, a Valerio fuisse scriptum probet, quivis iam sponte videt.

Postquam *diriberentur* certissimis argumentis confirmavimus, ne postulari quidem a nobis potest, ut quomodo vox *sententiae* cum verbo illo coniungi potuerit, ostendamus. Est enim ita certum *diriberentur*, ut nisi conveniat ei vox *sententiae*, in ea mendum subesse necessario statuendum sit. Atque cum demonstratum sit, locum hunc Valerii manus interpolatrices expertum esse, non sine magna quadam probabilitate coniici posset, scriptum fuisse antiquitus, *tabellae diriberentur*, idque ab aliis *sententiae darentur*, ab aliis *sententiae ordinarentur*, ab aliis *sententiae dicerentur* esse explicatum. Iam quod alibi saepius factum, hic quoque accidere potuit, ut altera glossa ab omnibus in locum antiquae lectionis sufficeretur, pro altera a nonnullis librariis genuina retineretur scriptura, licet paullulum immutata. At enim

nihil meo iudicio impedit, quo minus recte etiam *sententiae diriberi* dicantur, quoniam *sententiam* saepissime pro *suffragia* esse usurpatum cernimus. Nam *sententiam ferre*, quod frequentissimum est loquendi genus, nemo esset ausus dicere, nisi proprie *sententia* hic suffragii habuisset notionem. Quae simul caussa est, cur, quod multi nunc nostratium dicunt, *iudicium ferre*, Romanorum nemo dixerit. *Iudicium* enim numquam significatum suffragii habuit. *Suffragium* autem *ferre* quoniam quid proprie significarit, ignorare nunc homines docti videntur, singulari excursu ea de re agam.

In Auson. Grat. Act. p. 705. ed. Toll. pro *diribitore* item alii codices habere *distributore* dicuntur.

In Symmachi loco nihil est varietatis.

Apud Appul. Metam. II, 32. p. 137. ed. Oudend. pro *diribitores* Flor., Pal., Pith., Guelf., Orvill., et editt. omnes ante Colvium *dirivitores*, Lips. *diruitores*, Par. *duritores*, et Fux. *dirimires* habent.

Adhuc verbum *diribere* eiusque derivata *in locis*, quos attulimus, gravissima codicum auctoritate niti demonstratum est. Vidimus autem, id quod non inutile erit hic repetere, verbum *diribere* plerumque depravatum esse in *diripere* et *dirivare*, *diribitio* in *direptio*, *diribitor* in *direptor*, *dirivator*, *dirivitor*, et *diruitor*; illustratum antem esse ab interpretibus per *distribuere*, *dare*, et *ordinare*, et *diribitores* per *distributores*. Caeterum non est dubium, quin qui librarii *diripere* scripserunt pro *diribere*, hoc ipsum verbum tertiae esse coniugationis iudicarint, in quo errore cum alii viri docti recentioris aevi, tum Schneiderus ille ad Varronem versatur.

Sequitur, ut utram verbum illud notionem, *distribuendine* an *separandi* aut *secernendi* tabellas habuerit, ostendatur. Ac primum quidem animadverti volo, nullum locorum, qui allati sunt, ita esse comparatum, ut verbo *diribere* notionem *distribuendi* tribuere iubeamur. Contra plerique eiusmodi sunt, ut *diribere* non possit alium nisi *secernendi*, *separandive* significatum habere. Eo pertinent pro Planc. C. XX., ad Quint. fr. III, 4., Varro de R. R. III, 2. et III, 5., et Val. Max. IX, 12.

Ambigua videri potest significatio, sed re diligenter pensitata non est in Pison. C. XV. et. XL., post red. in Sen. C. XI., in Auson. Grat. Act., et in Symmacho.

Tres tantum reliqui, pro Planc. C. VI., Appul. Metam. II, 32., et Plin. Hist. Nat. XXXVI, 15. ambigui sunt.

In orat. Planc. C. XX. §. 49. adhuc in editionibus omnibus scriptum est:

Vocatae tribus; latum suffragium; descriptae, renunciatae: longe plurimum valuit Plancius.

Mirabilia auditu sunt, quae Ernestius et Garatonius huius explanandi loci causa adnotarunt. Ernestii ad h. locum verba haec sunt:

„*Descriptae*] Proprie debebat esse *descripta*, scil. suffragia, cum lata essent. Sed retulit ad tribus. MS. Erf. *diribitae*, ut supra *diribitio* pro *diremtio*: et poterat etiam hic dicere *diremtae*: sed *descriptae* idem est.“

Idem in Clav. Cic. sub v. *discriptus* monuit:

„Planc. 20. Nihil hic interpretes. E cod. Erf. notat Graevius *diribitae*. Sed ea lectio nihili est. *Diribitio* enim refertur ad tabellarum distributionem: quid autem *diribitio* post suffragia lata? Cogitabam aliquando *diremtae*: ex quo fieri potuit *diribitae*. Sed *descriptae* etiam explicari potest. Nempe post lata suffragia et diremta, punctis notabantur in tabulis, unde *punctum* pro *suffragio*. v. *punctum*. id dici commode posse putem *tribus describere*. *Describere* dici pro *in tabulas referre*, docet Schulting ad Calpurn. Declam. subiectam Quinctilianeis p. 794.“

Ernestium secutus simillima protulit Garatonius:

„Celeb. Ernestus in Ind. p. 459. (v. *descriptus*) diribitae ait nihili esse. Sed eumdem nosque confer ad c. 6. Lectionem intelliges esse optimam, quam tamen doctus aliquis potuit antiquitus vulgatae substituere. Nam videtur nihilo esse minus Cicerone digna vulgata; ut glossa, utravis in voce sit, fucum pulchre fecerit. Erfurtensi faveo: sed certe *tribum describere* nihil est aliud, quam illius tribus suffragia dirimere: unde per consequens illa etiam, quam vult Ernestus, punctorum intelligitur subnotatio. Notum est enim ea *describi*, quorum in suas partes summa tribuitur. Ita in comitiis singulae tribus, postquam suffragium tulerint, *describuntur*, cum suffragia tribulium ad candidatorum numerum dispertiuntur, ut quot ad quemque pertineant, punctis enumeretur. Hoc autem ipsum est *dirimere*. Dicuntur tribus ipsae descriptae pro suffragiis earum, plane ut statim eaedem *renunciatae*

dicuntur, quod ipse Cicero explicat c. 6. dum ait, *nihil quod - renunciatio suffragiorum exspectetur.*"

Ernestius igitur et Garatonius verbum *descriptae*, licet genus eius accommodatum sit praecedenti voci *tribus*, tamen notionem quod attineat cum verbo proxime antecedente *suffragium* coniungendum censent, cum non *tribus*, sed *suffragia* describantur. Quae quomodo ab hominibus doctis scribi potuerint, vix equidem intelligo. Sanusne enim Cicero fuisse censebitur, si participium non eo genere posuisset, quod substantivum proxime antecedens, quocum propter notionem debebat iungi, requirebat, sed illo, quo est substantivum prius etiam collocatum, quocum nullo modo cohaeret? Quae ratio dicendi cum omnibus grammaticae legibus repugnet, a Cicerone cui videtur iniri potuisse, indignus est qui interpretis munere fungatur. Debebat Cicero si verbum *describere* usurpare nunc voluisset, et eo quidem sensu, quem subesse ei Ernestius et Garatonius statuunt, verba necessario sic enunciare: *Vocatae tribus: lata suffragia: descripta, renunciata.* Sed ita non scripsisse, codices confirmant, scribere non potuisse, usus verbi *describere* ostendit, quod numquam alibi significat, *sententias tabellis indicatas in tabula punctis notare.* Ex hoc autem loco qui velit verbo illi tribuere significatum istum, propterea perverse agit, quod scripturam pessimorum et recentissimorum codicum eamque commutatam etiam amplectitur, praestantissimorum vero et antiquissimorum contemnit. Eos enim vidimus pro *descriptae* habere *diribitae*, quam lectionem, quemcumque praebeat sensum, alteri praeferri oportet. Patet autem, id quod intellexit iam Ernestius, notionem *distribuendi* verbum *diribitae* habere hic non posse, cum praecedant: *latum suffragium.* Itaque si artis criticae gnaros se praestare hic editores voluissent, debebant ex hoc loco concludere, verbum *diribere* non posse isto, quo credebant, significatu usurpatum esse, neque vero optimorum codicum lectionem reiicere. Postulat autem hic locus, ut *diribere* significet, *tabellas in cistas coniectas disponere.* At enim, obiiciat quis, unde tandem pendet participium *diribitae*, quod cum verbo *tribus* propter notionem suam, cum verbo *suffragium* autem propter genus coniungi nullo pacto possit? Et recte hoc obiicitur. Sed tenendum est, qualecumque verbum eius-

dem terminationis hic legatur, non removeri id incommodum. Neque vero medemur ei, si verba *diribitae*, *renunciatae* spuria iudicamus. Nam qui addidit talia, non potuit adeo ineptus esse, ut nullum cum adesset substantivum, ad quod referri possent, participia generis feminini non addito substantivo adscriberet.

Itaque sive spuria sunt, sive genuina, non potest dubitari, quin librariorum negligentia omissum sit substantivum, cui participia illa adiuncta fuerint. Id autem certa potest coniectura restitui. Excidit enim manifesto post *diribitae* vox *tabellae*, quae si fuit, quae consuetudo est librariorum, compendiose scripta, facillime praecedentibus litteris *tae* deleri potuit.

Iam optime procedit oratio ita:

Vocatae tribus; latum suffragium; diribitae tabellae, renunciatae: longe plurimum valuit Plancius.

Neque est, quod quis verbum *renunciatae* insolentius dicat additum, quoniam suffragia potius quam tabellae renuncientur. *Tabella* enim, de comitiis si agitur, *suffragii* semper notionem simul continet, ita ut in coniunctis his verbis offendi iure non possit. Itaque vera manet, imo verissima scriptura verborum *diribitae tabellae*, quorum prius quomodo in *descriptae* a librariis potuerit mutari, intelliget, qui in Pis. C. XV. verbum *diribitores* ab antiqua manu per *discriptores* esse explicatum viderit. Codices autem, in quibus *descriptae* legitur, ad unum omnes ex uno eodemque nec eo antiquo ortos exemplari esse, in Prolegomenis ad orationem Plancianam docebimus. Scriptura *rescriptae*, in codice pessimae notae reperta, nil nisi librarii error est, ex *descriptae* ortus.

Cicer. Ep. ad Quintum fr. III, 4. *Is diribitis tabellis de circulo se subduxit, et Pompeio primus nunciavit.*

Hic cum editores recentiores, id quod sententia totius loci manifesto ostendit, cum Garatonio ad or. Pis. C. XL. non de distributis inter iudices, sed de separatis ad pronunciandum, quid statuerint de Gabinio, tabellis agi iam intellexerint, eundem hic verbi *diribere* atque in loco Planciano, de quo modo dictum, significatum esse oportere, non opus est ut exponam. Vidimus autem non *diremptis*, quod receperunt editores recentiores, sed *diribitis* legendum esse.

Varro de R. R. III, 2, 1. *Comitiis aedilitiis cum sole caldo ego et Q. Axius senator tribulis suffragium tulissemus — Axius mihi, Dum diribentur, inquit, suffragia, vis potius villae publicae utamur umbra* etc.

Solus puto Graevius ad Pis. C. XV. de ministratis tabellis hic sermonem esse censuit. Editores Varronis, Gesnerus et Schneiderus, quibuscum facit Garatonius ad Pison. C. XV., de discernendis suffragiis loqui Varronem, recte viderunt, quamquam pessime optimorum codicum lectionem, a Petro Victorio receptam, deseruerunt et *dirimentur* scripserunt. Duplici autem de causa de tabellis populo datis cogitari hic nequit. Prima haec est, quod praecedunt verba *cum suffragium tulissemus*, quibus intelligitur eo tempore, quo Axius vellet villae publicae umbra uti, lata iam esse suffragia, si non omnium tribuum, at certe nonnullarum, ita ut necessario dicere debuerit Axius *dum reliqua suffragia diribentur*. Altera, eaque gravissima haec est, quod nemo Romanorum nec dixit umquam nec dicere potuit *suffragia ministrare populo*, cum suffragia in comitiis non accipiat populus, magistratus creaturus, sed ferat per pontes in septa intrans.

Alter Varronis locus III, 5, 18. quamvis largam nobis praebere posset disserendi materiam, si turpes, quos Schneiderus in explanando eo commisit, errores vellemus refutare, tamen quoniam eorum corrigendorum aptior dabitur locus, nunc tantum qui sit sensus singulorum verborum, breviter monebo. Appono tamen iterum verba, quae explicatione indigent:

Narrat ad tabulam cum diriberent quendam deprehensum tesserulas coniicientem in loculum; eum ad consulem tractum a fautoribus competitorum. Pavo surgit, quod eius candidati custos dicebatur deprehensus.

Tabula nunc ea intelligenda est, quae a candidato data erat amico, ut tot in ea puncta poneret, quot essent in cistam coniectae tabellae, nomine suo inscriptae. Is quoniam hoc etiam munere fungebatur, ut videret, ne quid fraudis in separandis tabellis committeretur, *custodis* nomine insigniebatur. Ita qui ad tabulam deprehensus erat, statim post Pavonis candidati custos dicitur fuisse. Tabula igitur erat Pavonis, id est, tabula, in qua punctis suffragia, quibus Pavo aedilis esset creatus, inscribenda erant. Itaque luce

clarius est, *diriberent* nunc valere *ordinarent*, vel disponerent sc. suffragia. — Caeterum de sensu verborum *tesserulas coniicientem in loculum* vide Gesnerum, qui ut quaedam, quae a vero aberrant, in nota ad h. locum scripserit, minime tamen tantopere lapsus est tamque absona protulit quam Schneiderus. Denique monuisse nunc sufficiat, quod copiosius in Prolegomenis ad orationem Plancianam demonstrabo, non de centuriatis comitiis, quae Graevii ad or. Pis. C. XV. opinio fuit, sed de tributis hic sermonem esse.

Val. Max. IX, 12, 7. quo magis in oculos incurrat, quo sensu *diriberentur* sit dictum, totum locum, qui huc pertinet, describo:

Consimili impetu mortis C. Licinius Macer, vir Praetorius, Calvi pater, repetundarum reus, dum sententiae diriberentur, in maenianum conscendit. Siquidem cum M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, praetextam ponentem vidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse; nec sua bona hastae posse subiici. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore et faucibus coarctatis, incluso spiritu poenam morte praecurrit. Qua cognita re Cicero nihil de eo pronunciavit.

His addo, quae Cicero ipse eadem de re Attico scripsit L. I. ep. 4.: *Nos hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus; cui cum aequi fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione illo damnato cepimus, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus.*

Ne verbo quidem ad h. locum opus esset, nisi supra dixissem, posse existere, quibus pro verbo *sententiae* scribendum *tabellae* videatur. Nam *sententias diribere* non posse significare *ministrare iudicibus tabellas* non minus manifestum est, quam, quod supra docuimus, latinum non esse, *suffragia diribere* pro *tabellas ministrare*. Recte autem *sententiae* se habere nec ullo modo mutandum esse, supra censuimus. Sed ne si legeretur quidem *tabellae*, alium quam separandi significatum *diriberentur* habere posset. Ostendit enim totus locus Valerii et Ciceronis narratio, tum demum C. Licinium Macrum sibi mortem conscivisse, cum quales iudices in cistam tabellas coniecissent, animadvertisset, et iam eo ventum esset, ut damnatio eius pronunciaretur. Ea enim ipsa causa fuit, cur mortem sibi asciscceret, quod damnatum se

intellexerat. Caeterum de *maeniano* confer, quae Weichertus, vir de rebus meis immortaliter meritus, docte, ut solet, disseruit in Commentatione *de C. Licinio Calvo, oratore et poeta.* Grim. an. 1825. p. 13.

Ad alterum locorum genus progredimur, in quibus ambiguam videri posse verbi *diribere* significationem, sed re diligenter pensitata non esse supra diximus. Ad eandem rem respiciunt Cic. post red. in Sen. C. XI. et in Pison. C. XV. Prior ita se habet:

Quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiae totius ordinumque omnium, quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis?

Alter ita:

Hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum.

Utroque loco cum Cicero primum *rogatores*, deinde *diribitores* commemoret, quid tandem probabilius, quam rogatoribus etiam prius quam diribitoribus in comitiis fuisse opus? Rogatorum autem constat munus fuisse, tabellas, quas singulae centuriae ferebant, colligendi, quemadmodum, cum voce ferebatur suffragium, rogare, id est interrogare centurias debebant sententias suas, latasque referre ad eum, qui praeerat comitiis. Itaque diribitorum, si post rogatores nominantur, quod in duobus factum locis videmus, non potest aliud fuisse negotium statui, quam hoc, ut coniectas in cistas tabellas disponerent.

Cic. in Pis. C. XL. §. 96. *An ego exspectem, dum de te quinque et septuaginta tabellae diribeantur, de quo iam pridem omnes mortales omnium generum, aetatum, ordinum iudicaverunt?*

Nimis verbose Garatonius, cuius notam paullo ante descripsimus, de sensu huius loci exposuit, quamquam quae optima esset verborum sententia acute perspexit. Sed dubitavit eam usquequaque pro vera habere, quoniam verbo *diribere* non ausus est alium quam ministrandi significatum tribuere.

Una sed ea gravissima causa cur *diribentur* non possit eo, quo vulgo creditur, sensu dictum esse, consistit in totius loci sententia, quae docet manifesto, verba *dum de te - diribeantur* necessario de exitu iudicii debere dicta esse, quem neget se Cicero exspectaturum esse, cum omnes iam mortales de Pisone

iudicarint. Aliis igitur verbis hoc dicat necesse est: quid ego illud exspectem tempus, quo iudices de te iudicium faciant vel diiudicent, de quo iam omnes iudicarunt? Ineptum autem fuisset, praecedentibus verbis *an ego exspectem, dum* eiusmodi quid ponere, quo initium iudicii declararetur, cum non illud, sed finis exspectandus sit, si iudicum sententias cognoscere volumus.

Alia a Garatonio prolata causa haec est, quod, si *diribeantur* valeat *ministrentur*, necesse sit, tum XXV. tantum iudices fuerint, siquidem ex communi opinione unicuique iudici tres tabellae sint datae, una damnationis, altera ad absolvendum, tertia ad ampliandum. Incredibilem autem illam iudicum paucitatem esse, praesertim cum ex tribus ordinibus tum seligi esse solitos constet, refragarique omnes scriptorum locos, in quibus de iudicum numero, ad iudicium tum temporis adhibitorum, mentio iniiciatur. Cfr. interpp. ad Cluent. C. XXVII. et ad Attic. I, 16. Verum hanc equidem causam nihil puto valere, cum opinio illa, tres unicuique iudici tabellas esse datas, solius quantum scio, Asconii verbis nitatur, ad Cic. Divin. C. VII. scriptis: *In divinationibus et in aliis causis maioribus universi iudices in cistam tabellas simul coniiciebant suas, easque insculptas litteras habentes, A absolutionis, C condemnationis; cum de alicuius capite agebatur, N L, ampliationis: his enim litteris significabant non liquere.* Ex his Asconii verbis, quae ceterum ne satis quidem integra videntur, nihil potest aliud colligi, quam triplicis generis tabellas fuisse, ab iudicibus in cistam coniectas. Contra plures apud veteres scriptores loci reperiuntur, quibus unam tantum singulis iudicibus tabellam esse datam, cui iudices ipsi litteram quam vellent insculpserint, plane significatur. Eorum quosdam attulit Garatonius, ut vidimus, in not. ad Pis. C. XL.

Difficilior quaestio de Ausonii Grat. Act. p. 705. ed. Toll., et Symmachi Laudd. in Patr. III. p. 40. ed. Mai. locis est. Uterque ad eandem consuetudinem respiciunt, ad fraudem quandam in comitiis admissam. Prioris verba, quae maxime huc pertinent, haec sunt:

Nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nil pepigi.

Ad quae monuit Vinetus: „*Diribitores* dicebantur, qui populo in septa ingredienti *tabellas*, ut paullo

ante diximus, *diribebant*, distribuebant, ministrabant. Qui et ipsi poterant pacta promissaque pecunia corrumpi. Nam cum, quot candidati eiusdem magistratus erant, tot tabellas singulis suffragatoribus daret *diribitor*, poterat hic in amici gratiam supprimere aliquam ex tabellis, et pauciores *diribere*, quam essent competitores. Vide, quid in causa Clodii accidisse referat Cicero in nona Epistolarum ad Atticum.“

Locus, quem spectat Vinetus, exstat in Epp. ad Att. I, 14. et ita se habet: *operae Clodianae pontes occuparant. Tabellae ministrabantur ita, ut nulla daretur uti rogas.* In quo loco recte monuit Graevius ad Pis. C. XV. contra Abramium, homines dici a Clodio conductos in suffragium ituris tabellas dedisse, et ita quidem, ut nullam ministrarint, litteris *U. R.* inscriptam, sed tantum tabellas eiusmodi, quibus *A.* littera, id est *antiquo* insculpta fuerit. Omnino falsum videtur, quod Abramius, cui quodammodo accedit Gesnerus ad Varron. III, 5. p. 336., contendit, tabellas domo solitas esse afferri. Verum quod iidem, Abramius et Gesnerus, tabellas a populo esse inscriptas statuunt, etsi plerisque nunc viris doctis secus videtur, tamen minime ab omni parte falsum est. Errarunt mea sententia viri docti eo, quod in legum comitiis eandem atque in magistratuum fuisse consuetudinem et instituta iudicarunt. In legum comitiis, de quibus in epistola ad Atticum sermo est, binas singulis civibus datas tabellas esse, quarum altera *A.* littera, altera *U. R.* fuerit notata, manifesto hoc ipso loco Cicero videtur testari. Idem in magistratuum comitiis, quae communis omnium fere doctorum opinio est, factum esse, non modo nullus ex antiquis scriptoribus proferri locus potest, qui confirmet, verum plures sunt, qui contrarium planissime probent.

Primus est Suetonii locus, qui in vita Caesaris C. LXXX. narrat: *Post remotos Caesetium et Marullum tribunos reperta sunt proximis comitiis complura suffragia, consules eos declarantium.* Eodem igitur anno, quo habita comitia sunt, quae memorat Suetonius, Epidius Marullus et Caesetius Flavus a Caesare tribunatu plebis moti erant. Causam rei exponit Suetonius C. LXXIX. Iam cum certissimum notissimumque sit, non licuisse cuiquam eodem anno, quo

tribunus pl. fuisset, consulatum petere ac nomen profiteri, sequitur necessario, non posse ullo pacto utriusque viri nomina ab eo, qui habuerit comitia consularia, recepta esse. Si non erant recepta, multo minus tabellis, quae populo in comitiis ministrarentur, inscribenda potuit curare consul, cui necesse est ii, qui inscriptas tabellas populo esse datas volunt, antequam haberentur comitia consularia, hoc impositum fuisse negotium statuant, ut quorum hominum nomina tabellis inscribenda essent praeciperet. Nihilominus tabellae cum dicantur complures comitiis illis repertae esse, nominibus duorum illorum hominum, qui modo tribunatu remoti erant, insignitae, necessario ea nomina a civibus ipsis, qui suffragia tulerint, scripta esse existimandum est.

Alter locus est Plutarchi, qui in vita Cat. Utic. C. XLVI. p. 445. ed. Reisk. scribit: *οὗτος* (M. Favonius) *ἀγορανομίαν μετιὼν ἡττᾶτο· συμπαρὼν δ' ὁ Κάτων προσέσχε ταῖς δέλτοις μιᾷ χειρὶ γεγραμμέναις· καὶ τὴν κακουργίαν ἐξελέγξας, τότε μὲν ἐπικλήσεως δημάρχων ἔλυσε τὴν ἀναδεξιαν.*

Vehemens de hoc loco inter viros doctos orta controversia est, maxime Abramium inter et Graevium, qui quomodo haec, quae Plutarchus narrat, interpretatus sit, ex ipsius verbis, supra p. 128. allatis, cognosci potest. Cum Abramio facit Gesnerus ad Varronem de R. R. p. 336. Qui sine praeconcepta opinione hunc locum legit simpliciterque explicat, necesse est ex eo concludat, tabellas in comitiis non ab uno, sed ab singulis, qui suffragium ferrent, inscribi debuisse. Quae consuetudo si non valuisset, minime ex eo, quod una manu tabellae in comitiis Favonii erant scriptae, Cato de fraude commissa coniecturam facere potuisset. Quod autem Graevius Catonem ait ex eo intellexisse fraudem esse factam, quod omnes omnium centuriarum tabellae una fuerint manu scriptae, singulas centurias aut tribus diversos habuisse, qui tabellas signarint, arbitratus, id minime Plutarchi verbis confirmatur. Qui cum Catonem dicat, postquam victus esset Favonius, ad tabellas animum advertisse, easque una scriptas manu cognosse, quamquam hoc videri debet narrare, omnes a Catone inspectas tabellas esse, tamen cum id neque diserte tradatur neque per se probabile sit, rem a Plu-

tarcho brevius, prouti res ferebat, narratam hanc iudico fuisse. Postquam pleraeque tribus suffragium tulerant, eoque ventum erat, ut Favonius aedilis creari iam non posset, Cato fraudem commissam esse suspicans tabellas eius puta tribus, quae momentum fecerat, inspexit, easque, quas inspexerat, una scriptas manu animadvertens fraude commissa dirimenda comitia censuit. Sed, ut Graevio omnes omnium tribuum tabellas a Catone esse inspectas et una scriptas manu repertas esse concedamus, quomodo tandem fraudis commissae suspicionem id movere potuit, si tabellae putantur candidatorum nominibus insignitae populo esse ministratae? Cuiusnam tandem interesse potuit, candidatorum nomina omnibus, quae ministrarentur, tabellis inscribere, et quomodo fraudem is potuit committere, nisi unius aut plurium candidatorum nomina, quae recepta erant, aut rarius quam ceterorum scripsisse aut prorsus omisisse censetur? Atqui hoc quomodo populus tulisset, si tabellas, in quibus unius pluriumve candidatorum nomina omissa fuissent, accepisset? Quod cum per se ab omni probabilitate abhorreat, neque verbo significatum a Plutarcho sit, nisi qui ineptit, fraudem a Catone detectam hanc fuisse iudicabit, quod tabellae, quibus singuli cives suffragium ferentes nomina candidatorum, quibus faverent, insculpere debuerint, manu unius, aut vi aut largitione facta, inscriptae fuerint. Cum hac autem explicatione quamquam neutiquam pugnat, si omnes tabellas tum unius manu scriptas sumimus, tamen propterea hoc incredibile mihi videtur, quod, quomodo in unius manum potuerint omnes pervenire, non intelligitur. Sive enim domo allatas a singulis putas, quomodo singulorum domus unus potuit adire, sive in comitio ministratas, quomodo unus omnibus tribubus, quas singulas suffragia tulisse scimus, interesse potuit? Denique quomodo unum hominem apud cunctum populum tantum credibile est valuisse, ut uniuscuiusque civis tabellam ei inscribere permissum sit? Sed utut hoc est, luculento ac certissimo testimonio Plutarchi locus est, a singulis civibus in comitiis magistratuum tabellas inscribi oportuisse. — Caeterum Graevius in eo quoque erravit, quod centuriata fuisse comitia illa aedilicia opinatus est, quae tributa fuisse ex meis in orationem Plancianam prolegomenis apparebit.

Extra omnem autem dubitationem, ipsum populum nomina candidatorum quae vellet tabellis inscripsisse, Plinius ponit, qui Epp. IV, 25. scribit:

Scripseram tibi, verendum esse, ne ex tacitis suffragiis vitium aliquod existeret; factum est. Proximis comitiis in quibusdam tabellis multa iocularia atque etiam foeda dictu: in una vero pro candidatorum nominibus suffragatorum nomina inventa sunt.

An censebis tabellas, in quibus multa iocularia atque etiam foeda dictu erant scripta, populo ministratas ab iis esse, quibus tabellarum ministrandarum officium erat impositum? Elucet porro ex hoc loco, in una tabella candidatorum, quibus honores populus demandari vellet, nomina fuisse scripta.

Ad Ausonii locum ut revertar, in promptu est videre, verba *cum diribitore nil pepigi* si ita intelligantur, ut *diribitor* is habeatur, qui tabellas ministrarit, eum in gratiam candidati nihil aliud potuisse facere, quam ut quibusdam suffragium ferentibus, candidati illius studiosis, plures una tabella daret. Quod cum umquam factum esse, neque ullo veterum scriptorum testimonio confirmetur, neque per se credibile sit, cum sine dubio rogatorum esset, curare, ne quis plures una tabella in cistas coniiceret, contra Varro de R. R. III, 5, 18. in disponendis suffragiis fraudem commissam esse diserte testetur: nonne vero multo est similius, *diribitorem* hic quoque eo dictum sensu esse, quo in locis, quos adhuc tractavi, usurpatum vidimus, quam eum habere significatum, qui reliquis locis repugnet?

Eadem prorsus ratio loci ex Symmacho allati est, quem quo magis intelligas, verba, quae proxime antecedunt, adscribo.

Sit mihi fas, P. C., in certamen praesentium vetustatem citare. Illa tribus evocat libertina ac plebeia faece pollutas; nos patricios favisores; classis illa, nos principes. Tales collega vester suffragatores habuit, quales antiquitas candidatos. Intelligamus nostri saeculi bona: abest cera turpis, diribitio corrupta clientelarum cuneis, sitella venalis. Inter Senatum et Principes comitia transiguntur: eligunt pares, confirmant superiores. Idem castris quod curiae placet. Quis hoc non putet orbis terrarum esse iudicium?

Ut in Ausonii loco *diribitor* a candidato fuisse corruptus negatur, ita Symmachus *diribitionem* antiquis temporibus clientelarum cuneis corrumpi esse solitam ait. Eadem igitur, quae ad locum Ausonianum monita sunt, in hunc cadunt. A clientibus autem quod diribitio corrupta dicitur, eo spectat, quod amici candidatorum, ut Cic. ad Pis. C. XV. refert, diribitores solebant esse, aut quod clientes corrumpebant eos, quibus tabellae erant disponendae. Caeterum falleretur magnopere, si quis ex ordine verborum coniecturam de eorum significatione facere vellet. Nam non legitimo ordine verba posuisse Symmachum, ex eo apparet, quod *sitellam venalem* post *diribitionem* memorat, quae ut significet, quam non significat, tabellarum ministrationem, tamen debebat post *sitellam venalem* commemorari, quippe qua urna, in qua sortes versabantur, indicetur.

Ambiguos dixi locos Cic. pro Planc. C. VI. §. 14., Appul. Met. II, 32., et Plin. H. N. XXXVI, 15. Eorum primum tamen, qui veterum scriptorum verba recte interpretari didicerunt, meae magis quam receptae sententiae favere intelligent. Scripsit ibi Cicero:

Nam si quotiescumque praeteritus erit is, qui non debuerit praeteriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari: nihil iam est quod populo supplicetur, nihil quod diribitio, nihil quod renunciatio suffragiorum exspectetur.

Aptior autem huius loci sensus existit, si *diribitionem* de separandis ordinandisve tabellis dictam arbitramur, quoniam verba *nihil quod exspectetur* eodem modo quo in Pis. C. XL. *an ego exspectem, dum* etc. magis de exitu quam de initio comitiorum oratorem loqui ostendunt.

Duo, qui reliqui sunt, loci neque ad comitia, neque ad iudicia pertinent. In Plinii verbis *qui gentes et regna diribet* etsi *diribere* simplicem dandi notionem habere videri potest, tamen cum nomen eius, cui gentes et regna dentur, non additum sit, credibilius est, disponendi sensu dictum esse, ita ut nostro verbo *vertheilem* respondeat. Eum autem significatum minime sententiae meae repugnare deinde docebitur.

Apud Appuleium *diribitores* servi dicuntur, quibus ad coenam usi Romani sunt. Atque ipsi viri docti, qui de iis exposuerunt, interpp. ad App. II, 32., Pignor. de servis p. 122. et Lipsius Sat. II, 2. in eo

consentiunt, quod cibos scidisse vel disposuisse dicunt. Alii tamen non scidisse tantum, sed divisisse etiam inter convivas aiunt, contra quos Lipsius monet, id potius sibi videri mandatum fuisse diribitoribus illis, ut fercula puerorum manibus allata commode disponerent et collocarent. Sed nihil ad rem meam pertinet, utrum diviserint etiam inter convivas cibos, an sciderint tantum. Satis est nosse, scidisse cibos, et aequales reddidisse.

Iam vero omnia, quae adhuc de locis, in quibus verbum *diribere* eiusque derivata posita reperiuntur, exposuimus, multo magis cuivis approbabuntur consideratis iis, quae de origine verbi illius iam dicenda sunt. Compositum enim est ex *dis* et *habere* eodem modo ut *dirimere* factum ex *dis* et *emere*. Neque littera *h* quod excidit, ullam habet offensionem. Idem factum in verbo *praebere*, quod omnes sciunt ex *prae* et *habere* ortum esse. Pertinet huc aliud etiam verbum, cuius originem nemo adhuc, quantum scio, indagavit, *debere* dico, quod item ex *de* praepositione et *habere* constat, proprieque significavit quod nos dicere solemus *weghaben*, quemadmodum *deesse* respondet nostro *wegseyn*.

Ex ista verbi *diribere* origine apparet propriam eius notionem hanc esse debuisse, ut significaret *partes rei coniunctas* aut *confusas seiungere* vel *segregare*, nobis *auseinanderhalten*, quemadmodum *cohibere*, quod contrarium est, *zusammenhalten* notat. Hinc aptissimum illius verbi usum fuisse intelligitur in comitiis iudiciisque, cum de seiungendis diversis tabellis, quae in unam coniectae cistam erant, sermo esset. Constat enim tum in comitiis tum in iudiciis eos, qui suffragia ferebant, tabellas diversis litteris inscriptas omnes in unam eandemque cistam coniecisse. Debebant igitur, ut populi cognosceretur sententia, diversae istae tabellae seiungi, ac tot in maiore tabula puncta scribi, quot v. c. in comitiis consularibus singuli candidati suffragia nacti essent. Simul autem intellectu non est difficile, fieri facillime potuisse, ut *diribere* praeterea distribuendi etiam significatum consequeretur, cum ii, qui diribebant tabellas, non tenerent usque manibus, sed aut in loculos diversos coniecisse, aut iis, qui punctis in tabula suffragia notabant, tradidisse non possint non censeri. Notabant autem qui *custodes* sunt dicti. Cfr. Cic. post red. in Sen.

C. VII. coll. in Pis. C. V. Nihilominus valde semper *diribere* a verbis *dandi distribuendique* discrepavit eo, quod, quam illa verba nunquam habuerunt, *segregandi* propriam retinuit notionem, ideoque aliquid, quod prius confusum coniunctumve erat, seiungere seiunctumque aut aliis dare aut alium in locum ponere significavit. Ex quo rectissime liquet servos, qui cibos aut fercula in aequales partes dissecuerint convivisque praebuerint, *diribitores* esse appellatos.

Contra mirum admodum foret, si ii, qui tabellas populo in suffragium ituro debebant ministrare, *diribitorum* nomine insigniti essent, cum nihil aliud agendum illis fuerit, quam ut sine dilectu ac discrimine singulis civibus tabellam porrigerent. Nam in legum comitiis, in quibus singulis binas easque diversas datas tabellas vidimus, dubitari vix potest, quin a ministris illis ex duabus cistis, quarum altera tabellas *A.* littera insignitas, altera *U. R.* inscriptas continuerit, tabellae depromptae sint. Suffecit igitur ad eam rem indicandam verbum *ministrandi*, quod in usu fuisse ex Ciceronis Ep. ad Att. I, 14. *tabellae ministrabantur ita* etc. cognoscimus.

Sed erunt, qui obiiciant, inutile fuisse verbum *diribere*, cum eodem illo, quem ego ei subesse credo, sensu *dirimere* sit usurpatum. Quibus ego respondeo, falsissimam istam omnium doctorum hominum opinionem esse, verbum *dirimere* ista significatione a Romanis usurpari esse solitum.

Nititur enim opinio illa iis tantummodo locis, in quibus ego nunc *diribere* aut *diribitio* ex codicibus restitui debere docui, pro quibus antea *dirimere* aut *diremptio* editores scripserunt, uno excepto loco Lucani, ubi quamquam recte legitur *dirimit suffragia*, tamen, ut deinde videbimus, longe alium quam quem subesse viri docti putant sensum praebet. Accedit, quod is est illius verbi usus, cui minime significatio, quam *diribere* habet, convenire videatur.

Errant enim viri docti, qui ita nunc usurpare solent, tamquam nihil aliud nisi *separare* vel *segregare* notet. Significavit proprie quod nos dicimus *auseinander nehmen*, id est *rem in diversas partes solvere*, vel *seiungere*. Hinc factum est, ut Plinius Curtiusque communem verbi usum, quem statim memorabimus, relinquentes *dirimi loca* pro *dissita esse* dixerint, neglecta, quae verbo inhaeret, notione prioris

coniunctionis. Iam vero cum, si rem in partes solvas, etiam vim, quippe quae plerumque in partium coniunctione potissimum consistat, necessario tollas, evenit, ut *dirimere* omnino *tollere quid*, *irritum facere*, *disturbare*, *interrumpere* coll. Schol. ad Lucan. V, 393. significaret, ut *societatem*, *litem*, *controversiam*, *comitia* et al. *dirimere*. Atque hic eius usus ita obtinuit, ut Plinius et Curtius soli ab eo recessisse videantur. Minime vero Lucanus V, 393., quem locum etiam Creuzerus l. l. p. 118. *sq.* eo consilio attulit, ut *dirimere* de disponendis numerandisque tabellis usurpatum esse doceret, contra vulgarem loquendi consuetudinem peccasse censendus est. In quo tamen loco explicando cum mire se torserint editores, longeque a vera via aberrarint, non inutile erit, diligentius eum tractare. Loquitur Lucanus de Caesare, scribitque a. v. 589.:

Addidit et fasces aquilis, et nomen inane
Imperii rapiens, signavit tempora digna
Moesta nota. nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erit? fingit sollemnia campus,
Et non admissae dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus et vana versat in urna.

Nolo omnia quae editores, Burmannus, Oudendorpius, et Bentleius, ad explicationem huius loci monuerunt, copiose refutare, quae falsa esse sponte intelligent alii, vera loci sententia exposita.

Ac primum quidem certum est, de comitiis loqui Lucanum, quae haberi iusserit Caesar, ut ipse et P. Servilius consules crearentur, erratque Handius, qui ad Stat. Sylv. I, 1, 65. p. 116. contra Burmannum, qui Heinsii coniecturam, pro *campus* scribendum *campi* putantis, reiecit, haec monuit: „Miror libidinem non emendandi, sed defendendi. Nam si Lucanus scripsisset *fingit sollemnia campus*, eo quo Burmannus vult sensu, campus referebat falsa specie antiqua sollemnia, quae ipsa desiderabantur, neque acta erant.“ Atqui habita revera esse illa, quae memorat Lucanus, comitia, licet populus in ferendis suffragiis libertate sua minime potuerit uti, praeter Lucanum Caesar ipse testatur de B. C. III, 1, 1. *Dictatore habente comitia Caesare, consules creantur Iulius Caesar et P. Servilius.* Itaque per se spectata verba *fingit sollemnia campus* rectissime dicta

sunt et explicata iam ita, ut Burmannus voluit, ab antiquo eoque satis docto Scholiasta, qui ad vocem *campus* adnotavit: *i. Martius, in quo comitia fiebant. Nam populus timens fingebat sollemnia, cum ipse* (Caesar) *omnes in se reciperet dignitates. fingit ergo i. e. sic omnia aguntur in comitiis, quasi Caesari dederint consulatum, et non ipse sibimet eum vindicarit.*"

Verum habet sane aliquam offensionem nominativus *campus* propterea, quod verba sequentia *dirimit, decantat*, et *versat* non ad campum, quod exspectes, sed necessario ad eum, qui habuit comitia, id est ad Caesarem referri debent. Itaque lubenter cum Heinsio *campi* scriberem, ita ut verbum *fingit* quoque ad Caesarem referretur, nisi vulgarem scripturam cum codices omnes tum Scholiastae etiam tuerentur, atque poetae, Lucano maxime, insolentiorem loquendi rationem condonare deberemus.

Iam v. 393. *et non admissae dirimit suffragia plebis*, de quo cum maxime agitur, idem ille Scholiastes ita interpretatur: *i. interrumpit ita, quasi missa plebs videretur tulisse suffragia.* Cuius interpretationi accedit maximam partem Hortensius, *dirimit* explicans: *sustulit suffragia et se et Servilium consules dixit.* Quibus Hortensii verbis haec apposuit Oudendorpius: „Quo sensu videtur cepisse etiam Cortius ad Sall. Iug. C. 18. *Consilium diremit*, dum reddit per *sustulit*. Mihi videtur Lucanus non tam respexisse ad hunc Caesaris consulatum, sed et ad sequentia, quae fecit [in qua re manifesto fallitur Oudendorpius]. *dirimit* ergo erit, tollit, abrogat quasi morem suffragii ferendi a populo, qui revera non admittitur, licet Caesar more sollemni per praecones decantet tribus, et suffragia verset in urna."

Veriora sunt, quae monuit Burmannus: „Omnia in speciem acta, quasi vetus ius comitiorum referret, convocatae tribus, admissae ad suffragia, quae tamen non libera illis relicta, sed ut nullo numero habita, cum iam admissa esset plebs, dirimit suffragia et comitia dimittit, ita ut idem esset, ac si non admissa esset plebs, vel cum una vel altera tribus vel classis, in qua potentiores, suffragia tulisset, reliquarum, in quibus plebs erat, nulla habita ratione, dirimit comitia. Idem fere est, quod Rullo exprobrat Cicero Orat. I. Agr. c. 8. et 9."

Consentiunt igitur et recte quidem hi omnes interpretes in eo, quod *dirimit* explicant per *interrumpit* vel *tollit*. Nam *diribendi* notionem habere prorsus nequit, cum absurdum sit dicere, suffragia alicuius disponere, qui idem admissus negatur esse. Accedit, quod totus locus postulat, ut Caesar, licet comitia habuerit, tamen populum uti libertate sua non passus esse dicatur. Cui sententiae apprime convenit *dirimit suffragia* hoc sensu, *interrumpit suffragia*. Quibus quae addita sunt verba *non admissae plebis* solus recte interpretatus est antiquus ille Scholiastes, ab editoribus, ut videtur, non intellectus, explicans: *interrumpit ita, quasi missa plebs videretur tulisse suffragia*. Hoc enim significat Lucanus:

Habet Caesar dictator comitia, omniaque ea, quae sollenniter fieri in comitiis, antequam populus suffragia ferat, consueverunt, facit quidem, sed ita facit ut vana sint et sine effectu, adeoque suffragia plebis, antequam tota in suffragium missa est, interrumpit.

Idem ille Scholiastes iterum solus recte illustravit verba *et vana versat in urna*, ad quae male editores *suffragia* putarunt supplenda, cum deberet repeti *tribus*, quod verbum modo praecedit. Neque enim umquam suffragia ab eo, qui praerat comitiis, in urna sunt versata. Optime Scholiastes ad vocem *urna* adnotavit: *Urna est vas, quod et orca dicitur, in quo antiqui sortes mittebant et manibus conversantes movebant. Nam per sortes faciebant comitia. Non uno autem modo sortes fiebant. Quidam enim in urna, quidam in sinu etiam eas mittere solebant.* Sensus igitur verborum *Decantatque tribus et vana versat in urna* hic est: vocat tribus, quas sortitus est, sed ita sortitus est, ut sortitio, cum suffragia tribuum irrita fiant, vana sit. Inversus enim paulisper ordo verborum est, qui ita debebat a prosaico scriptore fieri: versatque in urna tribus et decantat, id est citari iubet tribus, quarum nomina exierunt. Sed habet eo minus ille verborum ordo offensionis, cum *et versat* pro *versans* dictum accipere possis. Recte autem dictum *tribus versare* pro *sortiri*, *quae tribus prima suffragium ferat*, nemo dubitabit, qui eodem fere modo prosaicos scriptores locutos esse meminerit. Sic Cic. Or. Agr. II. C. VIII. §. 21. *Sortietur tribus idem Riullus, homo felix educet, quas volet, tribus. Quos novem tribus decemviros fecerint, ab eodem*

Rullo eductae. idemque ibidem C. IX. §. 22. *Quis tribus, quas voluit, vocavit, nullo custode sortitus?* Adde Val. Max. VI, 3, 4. *Id factum imitatus M'. Curius consul, cum delectum subito edicere coactus esset, et iuniorum nemo respondisset, coniectis in sortem omnibus tribubus, Polliae, quae proxima exierat, primum nomen urna extractum citari iussit.*

Singulae igitur sortes, quae in urnam coniiciebantur, insignitae erant tribuum nomine, quae in suffragium mittendae erant, ita ut in istiusmodi sortitione recte *tribus* pro *sorte* dici potuerit.

Caeterum etsi nihil in ipsis Lucani verbis mutandum esse docui, tamen necessaria mihi transpositio versuum 393 et 394. videtur. Ut enim a poetis nonnunquam res, quae describuntur, ordine non legitimo exponi concedam, geminum tamen exemplum, quo tam perversa rerum expositio, qualis haec est verborum *et non admissae - in urna*, comprobetur, repertum iri nego. Accedit, quod in nullius poetae carminibus saepius quam in Lucani Pharsalia a librariis versuum sedem temere mutatam esse scimus. Itaque mea sententia sic scripsit Lucanus:

fingit sollemnia campus,
Decantatque tribus et vana versat in urna,
Et non admissae dirimit suffragia plebis.

DISSERTATIO
DE
DISCRIMINE VERBORUM *CISTAE* ET *SITELLAE.*

Quam multiplices saepe ex eo errores oriantur, quod verborum, quae cognatae sunt significationis, discrimen diligenter a Romanis observatum negligunt vel ignorant nostri temporis viri docti, haec de verbis *cista* et *sitella* dissertatio declarabit.

Communis autem hominum doctorum, qui de comitiis Romanorum exposuerunt, opinio nunc est, promiscue ab antiquis *cistam* et *sitellam* usurpatas esse de vase, in quod tabellae a suffragia ferentibus coniectae sint. Vide, ut unum commemorem, Ernestium in Clav. Cic. sub v. *sitella.* In qua opinione profecto mirum est quomodo tot viri docti tamdiu esse potuerint, cum verum horum verborum discrimen

dudum a P. Manutio in libro de Comitiis Romanis C. XV. p. 527. ed. Graev. recte expositum esset. Ei tamen cum fidem habere viri docti, qui postea eadem de re scripserunt, omnes, quantum scio, recusarint, non abs re alienum erit, verum Manutii iudicium esse gravioribus comprobare argumentis. Appono primum Manutii verba, qui l. l. haec scripsit.

„Neque vero iis assentior, qui *cistae* et *sitellae* eundem usum in comitiis esse putant, cum utramque pro vase interpretantur, quo tabellae suffragiorum continerentur. Nam *sitella* nomina tribuum, aut centuriarum continebat, quibus sorte eductis suum quaeque locum tribus, aut centuria in ferendo suffragio noverat, quae scilicet prima esset, quae secunda, quae tertia, usque ad extremam ordine servato, qui sorte contigisset. Quod ut ita esse credam, facit Cicero, qui primam centuriam sorte eductam, quae praerogativa dicebatur, testatur Philippica II., quod ipsum libro XXIV, et XXXVII Livius comprobat. Ipsas autem sortes in *sitella* fuisse iidem significant. Noster quidem in oratione pro C. Cornelio, quae integra non exstat, his verbis: *Est utique ius vetandi, cum lex fertur, dum privati dicunt, dum sitella defertur, dum aequantur sortes, dum sortitio fit.* Quo loco de tribubus sorte eductis, ex Asconii commentario cognoscitur. Livius autem sic libro XXV *Tribuni populum summoverunt, sitellaque allata est, ut sortirentur.* Itaque sic statuo atque concludo, sitellam fuisse, unde tribuum, sive centuriarum, nomina sorte educerentur, ut suum quaeque locum in suffragio ferendo servaret; non, unde sumptae tabellae, suffragiorum notis inscriptae, distribuerentur. Cista vero continebat eas tabellas, quae sine sorte viritim tribubus, aut centuriis suffragiorum causa ministrabantur. Et, ut dicam, quod sentio, quem locum ex libro ad Herennium recitavimus, in eo loco *sitellam* potius, quam *cistellam* legendum crediderim. Nam et Cicero non de *cistella*, sed de *sitella* delata bis mentionem facit in ea pro C. Cornelio oratione, deque Natura Deorum libro I. et Livius eodem fere modo loquitur loco a nobis recitato. Ut illam quoque rationem omittam, quod ad continendas eas tabellas, quae viritim populo distribuerentur, non una cistella, sed pluribus cistis opus esset; sortibus autem, sive tribuum, sive centuriarum, una sitella sufficeret.“

Iam haec, quae Manutius monuit, ut nullus relinquatur dubitandi locus quin sint verissima, primum *sitellam* in sortiendo adhibitam esse veterum scriptorum locis confirmabimus; deinde forma eius et materia quae fuerit quaeque *cistae*, patefaciemus sic, ut ne usum quidem sitellae ad colligendas tabellas ullo pacto esse potuisse liqueat; denique ipsos locos, ex quibus *sitellam* de vase, in quod tabellae coniectae sint, viri docti intelligendam putarunt apponemus appositosque explicabimus.

Dum locos, ubi *sitella* ad sortiendum adhibita reperitur, affero, monitum simul lectorem volo, inter *situlam* et *sitellam* nihil plane discriminis intercedere, id quod ex Plauti Cas. Act. II. sc. VI. intelligi potest. Ibi enim postquam Chalinus dixit v. 7.

assunt quae imperavisti omnia,
Uxor, sortes, situla, atque egomet.

paullo post v. 11. praecipit Stalino:

Depone hic sitellam, sortes cedo mihi, animum advortite.

Contra idem Stalino Act. II. sc. IV. v. 17. dixerat:

Intro abi, atque actutum uxorem huc evoca ante aedis cito,
Et situlam huc tecum afferto cum aqua et sortes.

paullo post autem eiusd. Act. sc. V. v. 34.:

Coniiciam sortes in sitellam et sortiar
Tibi et Chalino.

et v. 43.

Chalinus intus cum sitella et sortibus.

Liv. XXV, 3. *Tribuni populum submoverunt, sitellaque lata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent.* Idem XLI, 18. *Valerium auspicato sortitum constat, quod in templo fuisset; in Petillio id vitio factum, postea augures responderunt, quod extra templum sortem in sitellam, in templum latam, foris ipse posuerit.*

Appono etiam Lambini verba, ad Plaut. Cas. II, 4, 17. posita:

„Ex hoc loco maxime et ceteris, quae ad hunc locum pertinent, quomodo sortirentur veteres, cognoscere licet. Nam primum vas, in quod coniiciendae erant sortes, implebatur aqua: neque in vas inane coniiciebantur sortes; deinde sortes erant ligneae, non terrenae, seu terreae, ne liquescerent in aqua, ut sors Aristodemi liberorum olim delicuit.“

Omisi reliqua, quae in libris Antiquitatum Rom. adnotata reperies. Eam autem consuetudinem, vas, in quo sortes mittebantur, aqua implendi, a Graecis ad Romanos transiisse et ad sera usque tempora obtinuisse, inde coniicio, quod Graeci eiusmodi vas ὑδρίαν appellarunt, qua voce usus etiam Cicero est in Verr. Act. II. L. II. C. LI. §. 127. *ut quot essent renunciati, tot in hydriam sortes coniicerentur*, et quod Flavius Vopiscus in Prob. p. 687. ed Boxhorn-Zuer. scribit: *deinde in urnam militares iussit nomen suum mittere, ut aliquis eum sorte eductus acciperet. Et cum essent in exercitu quidam nomine Probi alii quatuor milites, casu evenit, ut primum emergeret cui Probo nomen existeret, cum ipsius Probi ducis nomen missum non esset. Sed cum quatuor illi milites inter se contenderent, ac sortem sibi quisque defenderet: iussit iterum agitari urnam; sed et iterum Probi nomen emersit; cumque tertio et quarto fecisset, quarto Probi nomen effusum est.*

Iam vero *situlam* etiam ut Graecorum ὑδρίαν proprie vas hauriendae ferendaeque aquae fuisse, ex Plaut. Amph. II, 2, 39. discimus. Ex qua re satis certo intelligitur, *fictiles* fuisse *sitellas*, id quod reliqua etiam nomina, quae pro *sitella* passim in sortitione usurpantur, extra dubitationem ponunt. Ex iisdem etiam nominibus, quae forma fuerit *sitellae*, de qua nihil prorsus monitum a viris doctis vidi, facile apparebit. Sunt autem *urna* et *orca*. Atque *urnae* quidem frequentem in sortitione mentionem fieri ab antiquis scriptoribus, nemo non recordabitur. Itaque eos tantum adscribo locos, qui ad comitia vel iudicia pertinent, in quibus cum alibi *sitellam* commemorari videamus, ut in Livii loco et iis, qui infra afferentur, dubitari non potest, quin unum idemque vas et *sitella* et *urna* significatum sit. Praeterea alia etiam hi, quos appono, loci nos docebunt.

Cic. in Vatin. C. XIV. §. 34. *Quaero ex te, Vatini, — num quis reus in tribunal sui quaesitoris adscenderit, eumque vi deturbarit, subsellia dissiparit, urnas deiecerit?*

Quo loco pessime interpretes *urnas* explicare de vasis, in quae tabellae coniectae sint, infra apparebit.

Val. Max. VI, 5, 4. *Id factum M'. Curius consul, cum delectum subito edicere coactus esset, et*

iuniorum nemo respondisset, coniectis in sortem omnibus tribubus Polliae, quae proxima exierat, primum nomen urna extractum citari iussit.

Virgil. Aen. VI, 431 *sqq.*

Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice sedes.
Quaesitor Minos urnam movet: ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.

Lucan. Phars. V, 394.

Decantatque tribus et vana versat in urna.

Urnas etiam, ut sitellas, vasa aquaria eaque fictilia plerumque fuisse, in vulgus notum est. Porro forma urnarum etsi non incognita est, appono tamen Ferratii verba, ex libro de Lucern. Sepulchr. Thes. Ant. Rom. Graev. T. XII. p. 1013. petita: *Erat vas oblongum, corpore rotundo, collo procero, angusto, ac fistulatim porrecto, adiectis hinc inde ansis.*

Orcam ad sortiendum adhibitam esse, Scholiastes Lucan. V, 394. testatur his verbis: *Urna est vas, quod et orca dicitur, in quo antiqui sortes mittebant, et manibus conversantes movebant.* Materia et forma *orcarum* eadem atque urnarum fuit. Recte enim monet Gesnerus sub h. voce n. 2.: „*Orca vas fictile videtur lato alvo, angusto ore, in quam inter ludentes pueros qui nucem iniecisset, victor erat. Certe ita intelligi possit Pers. III,* 50. *Angusto collo non fallier orcae.*“ Caeterum cum aliae res humidae, tum imprimis vinum orcis infundebatur, in iisque servabatur.

Istiusmodi forma cum fuerit urnarum et orcarum, vehementer errare apparet eum, qui ad colligendas tabellas eas usurpari potuisse credit. Quomodo enim extrahi tabellas ex eiusmodi vasis potuisse censebis, quarum collum multo quam alvus fuit angustius? Immo longe aliam debere vasorum, in quae tabellae coniectae sunt, formam fuisse, quivis vel sponte intelligat necesse est. Verum non coniectura tantum mea haec nititur sententia, sed disertissimis veterum testimoniis, nummis dico, quorum profecto gravissima in hac re auctoritas est. Exstat autem inter alios denarios, quos Spanhemius de us. et praest. num. p. 580 ed. MDCLXXI. depictos dedit, unus gentis Cassiae cuo legis a Cassio Longino *de suffragiis* latae me-

moria ita servata est, ut virum repraesentet, qui tabellam, littera *A* signatam, sinistra manu tenet et in cistam ante se positam coniecturus est. Istius cistae haec est figura:

Cistarum autem nomine insignita ab antiquis ea vasa esse, in quae tabellae solerent coniici, testatum faciunt hi loci:

Sisenna apud Nonium: *Cistasque, quae erant legum ferendarum gratia paratae, deiecerant.*

Asconius ad Cic. Divin. C. VII.: *In divinationibus et in aliis causis maioribus universi iudices in cistam tabellas simul coniiciebant suas, easque insculptas litteris habentes A absolutionis, C condemnationis* etc.

Idem paullo post: *Constituere autem, tabellas in cista ponere, significat magis, quam decernere.*

Auctor ad Herenn. I, 12, 21. *Caepio - pontes disturbat, cistas deiicit, impedimento est, quo secius feratur.*

Plinius H. N. XXXIII, 2, 7. *Praeter hos etiamnum nongenti vocabantur, ex omnibus selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis.*

Porro haec ipsa, quam imprimi iussimus, figura satis declarat, viminei generis *cistas* esse debuisse, id quod cum aliunde constat, tum ex Tibull. I, 7, 48. intelligitur:

Et levis occultis conscia cista sacris.

Continuo ex materia, qua constitisse *cistas* scimus, luculenter apparet, nullum prorsus earum usum in sortitione esse potuisse, cum vasa, in quae sortes coniicerentur, talia fuisse certum sit, quae aquam continerent. Neque ullum apud veteres scriptores locum invenies, quo rem humidam *cistis* infusam esse docere possis. Hinc efficitur, *cistellam* etiam non magis quam cistam ad sortiendum adhiberi potuisse. Nam ut minor *cistellae* quam *cistae* magnitudo fuerit, tamen necesse est et formam reliquam et materiam utriusque eandem fuisse. Formam autem *cistae*

pariter atque *cistellae* vel *cistulae* alienissimam a sortiendo esse, videre proclive est.

Revertor ad *sitellas*, quarum eandem et materiam et formam atque *urnarum* et *orcarum* esse debuisse, ex eo apertum fit, quod in comitiis nunc *urnam* nunc *sitellam* ad sortiendum usurpatas esse veteres scriptores tradunt. Nemo autem animum inducet, ut in iisdem comitiis diversi generis vasis Romanos ad sortitionem usos esse credat, licet viliora quis aut minus pretiosa in comitiis tributis quam in centuriatis in usu fuisse coniiciat. Omnino hoc dubitari nullo modo potest, quin eiusdem fere formae et materiae vasa ubique Romani in sortitione usurpaverint.

Iam vero forma istiusmodi vasis quae fuerit, quemadmodum paullo ante iam demonstratum est, ita ab omni dubitatione eximit denarius eiusdem gentis Cassiae, quem Spanhemius l. l. iuxta illum, qui cistam repraesentat, depictum dedit. Is enim tribunal conspiciendum dat, ad cuius alteram partem tabella visitur, litteris *A C* insignita, ad alteram huiusmodi figurae vas:

Qua figura certum est vas, in quod sortes coniici sint solitae, id est *urnam* vel *sitellam* significari. Illam autem urnam vel sitellam in tribunali fuisse positam, non solum ex hoc denario coniici potest, verum testatur etiam diserte Cicero in Vatin. C. XIV. §. 34. quem locum p. CLXI. attulimus. Atque in iudiciis quidem adesse debebant tot urnae, quot erant iudicum ordines, ex quibus singulis, qui iudicarent, sorte electos esse notum est. Hinc Cicero Epp. ad Quintum fr. II, 6. *Senatorum*, inquit, *urna copiose absolvit, equitum adaequavit, tribuni aerarii condemnarunt.* Quo in loco valde errant, qui *urnas* de cistis interpretantur, in quas iudices tabellas coniecerint. Immo *urna Senatorum* hic significat *Senatores sorte electos*, idemque urna equitum et tribunorum aerariorum. In comitiis una tantum opus habebant sitella, in quam tribuum aut centuriarum nomina coniiciebantur eo consilio, ut quo ordine suffragium sorte constitueretur. Itaque de comitiis cum

sermo est, nunquam numero plurali *urnas* aut *sitellas* commemoratas invenies. Porro hoc bene tenendum est, semper eum in comitiis sortitionem fecisse sitellamque movisse, qui praefuit eis. Idem negotium in iudiciis quaesitori erat impositum.

Post ea, quae disputavimus, sponte iam quivis recte interpretabitur eos locos, qui effecerunt, ut *sitellam* putarent viri docti eam fuisse, in quam tabellae sint coniectae. Sunt autem hi:

Cic. pro Cornel. Fr. I. p. 1046. ed. Ern. *Est utique ius vetandi, cum ea feratur, quamdiu non perfertur; quamdiu qui suffragii ferundi causa conveniunt, huc et illuc transferuntur; dum privati dicunt; dum sitella defertur; dum aequantur sortes; dum sortitio fit; et si quae sunt huius generis alia.*

Idem paullo post p. 1046. *Neque enim maius est legere codicem, cum intercedatur, quam sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre, nec gravius, incipere ferre, quam perferre, nec vehementius ostendere se laturum invito collega, quam ipsi collegae magistratum derogare, nec criminosius, tribus ad legem accipiendam, quam ad collegam reddendum privatim intro vocare; quae vir fortis huius collega Aulus Gabinius in re optima fecit omnia.*

Cic. de N. D. I, 38, 106. *Ut igitur Ti. Gracchum cum videor concionantem in Capitolio videre de M. Octavio deferentem sitellam.*

Auctor Rhet. ad Herenn. I, 12, 21. *Cum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus ac trientibus laturus esset, Q. Caepio docuit senatum, aerarium pati non posse largitionem tantam. Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus rempublicam videri eum facere. Saturninus ferre coepit. Collegae intercedere. Ille nihilominus sitellam detulit. Caepio ut illum contra S. C. intercedentibus collegis vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deiicit, impedimento est, quo secius feratur.*

Cum nullus horum locorum istius modi sit, ut *sitellam* nos cogat de vase interpretari, in quod tabellae coniectae sint, contra primus et quartus manifesto indicent, sitella vas, in quo sortes sint missae, significari: quis tandem erit, quin ea secum reputans, quae

de materia et forma sitellae disputavimus, etiam secundo et tertio loco voce *sitellae* urnam ad sortiendum adhibitam necessario intelligendam credat? Ac primo quidem loco quae post *dum sitella defertur* sequuntur verba, *dum aequantur sortes*, *dum sortitio fit*, non sinunt dubitare, quo sensu sitella debeat dicta esse. Quarto loco verba *cistas deiicit* patefaciunt, prioribus *sitellam detulit* non posse vas, in quod tabellae coniectae sint, indicatum esse. Quid enim causae afferre poteris, cur prius nomen numero singulari, posterius plurali extulerit scriptor, nisi hanc, quod tabellae pluribus continebantur vasis, sortes vero uno? Unde perspicuum est, quid *sitella* hic debeat significare. Caeterum inepte in editionibus pro *sitellam* nunc *cistellam* scribi supra ostendimus. Nititur etiam vera scriptura plurium eorumque bonae notae codicum auctoritate.

Restat, ut errorum admoneam lectorem, qui orti ex eo sunt, quod *sitella* habita vas est, in quo tabellae collectae sint.

Primus est, quod Nicol. Grucchius de Com. L. I. C. III. p. 563. F. et C. IV. p. 608. D. ed. Graev., quem qui postea de comitiis Romanorum scripserunt, omnes videntur secuti, ubi *Rogatorum* quod fuerit officium exponit, monet:

Rogatores erant, qui cistam deferebant, in quam populus tabellam suffragii coniiciebat.

Quemadmodum autem hoc cistarum deferendarum negotium ex iis tantum locis, in quibus de *sitella delata* sermo est, rogatoribus attributum fuisse collegit, ita ex eisdem in comitiis tributis eum ipsum, qui comitia habuerit, rogatorem fuisse unicum concluait. Qua de re scripsit L. II. C. IV. p. 680. A.:

„Quod vero de rogatoribus dixi, praeter rogatorem comitiorum non fuisse alios tribuum rogatores, sicut erant centuriarum rogatores quidam in centuriatis comitiis, hac ratione confirmari potest. Qui cistam deferebat colligendis per tribus suffragiis, rogator dicitur. Atqui ex multis locis apertum est, cistam solitum eum ipsum, qui habebat tributa co-

Cicero Lib. I. C. XII. ad Heren., de N. D. I.

C. XXXVIII., et pro Corn. fr. I.. Hi loci [non descripsi, quoniam paullo ante attulimus] satis ostendunt, rogatorem comitiorum eundem fuisse, qui per singulas tribus tabellas suffragii colligeret.“

Iam vero cum demonstrarimus, *sitella* urnam significari, in quam sortes sint coniectae, falsum esse apparet, quod Gruchius rogatores Centuriarum cistas detulisse ait, idque eo magis, cum in iis ipsis locis, ex quibus hoc collegit, minime de centuriatis, sed de tributis tantum comitiis scriptores loquantur.

Deinde sequitur continuo, ex iisdem locis minime concludi posse, rogatorem comitiorum tributorum simul tribuum fuisse rogatorem. Sortitionem autem etiam in comitiis centuriatis eum, qui praefuerit eis, instituisse, supra vidimus.

Verum quamquam haec Gruchii argumenta, quibus in comitiis tributis nullos fuisse rogatores praeter eum, qui habuerit, comprobare studuit, concidisse iam apparet, certum tamen hoc est, nullum apud veteres scriptores locum reperiri, quo in comitiis tributis eodem modo atque in comitiis centuriatis rogatores fuisse doceamur. Contra non fuisse coniicerem ipse ex Sueton. Caes. C. LXXX., ad quem locum miror editores prorsus neglexisse quae Gruchius l. l. p. 680. satis probabiliter disputavit, nisi per plures pontes tribus in septa intrasse necessario statuendum esset. Quod si erat, debebant etiam ad singulos pontes esse, qui cistas, in quas tabellae coniiciebantur, custodirent, id est rogatores tribuum.

DISSERTATIO
DE
ROMANORUM ANTIQUISSIMO SUFFRAGII FERUNDI MODO.

Qui nostris temporibus de Comitiis Romanorum exposuerunt homines docti, omnes, quantum scio, Romanos duplici modo in comitiis sententias dixisse, primum usque ad initium seculi VII. ab U. C. voce, deinde tabella arbitrantur. Quam opinionem unice videntur scriptores latini confirmare, qui nusquam de tertia quadam sententiae dicendae ratione loquantur.

Nihilominus Manutius de Com. Rom. C. XV. p. 526. ed. Graev. scripsit:

„Quod autem et de calculis et de tabellis, populo distributis, paullo ante dixi, id eo dixi, quia neque semper calculis in ferendo suffragio, neque semper tabellis populus est usus, sed solis calculis ante leges tabellarias, post autem semper tabellis. Nam calculis populum in comitiis esse usum nemo, qui Dionysium legerit, ignorat. Nec vero dubium est, quin, quemadmodum post leges tabellarias, duas quisque comitiis tabellas accepit, diverse inscriptas, ad distinguendam voluntatem: sic ante eas leges duos quisque calculos, diverse coloratos, acceperit; album, ut approbaret; nigrum e contrario: excellit enim inter colores albus: ideoque Deo esse praecipue decorum tum in ceteris, tum maxime in textili auctor est Plato. Itaque prosperam voluntatem albo lapillo significatam in ferendo suffragio, adversam nigro facile coniicimus, cum etiam dies feliciter aut infeliciter traductos albo aut atro lapillo signatos legamus. Athenienses quoque albis calculis in absolvendo, nigris in condemnando usos esse, non solum is, qui Demosthenis orationem, quae inscribitur *κατὰ Τιμοκράτους*, explanat, verum etiam Iulius Pollux libro VIII. satis aperte declarat. Calculi igitur colore, tabellae inscriptione distinguebantur."

Haec Manutius, contra quem nuper diserte pugnavit Schulzius in libro, qui inscribitur Von den Volksv. der Römer. Goth. 1815. p. 255. in recepta opinione perseverans. Atque errat aperte Manutius in eo, quod ante leges tabellarias solis calculis Romanos usos esse contendit. Etenim non Cicero solum de Legg. L. III. C. XV. et XVI., verum alii etiam scriptores ante leges tabellarias voce in dicenda sententia usos esse memoriae tradiderunt. Nihilominus maximam partem vera Manutium dixisse, Romanosque antiquissimis temporibus calculis esse usos duabus de causis certissimum puto.

Primum argumentum peto ex elocutionibus *suffragium ferre*, *mittere in suffragia*, *inire* vel *ire in suffragium*, quae nos cogunt statuere *suffragium* proprie aliquid significasse, quod ab alio loco in alium manu latum sit. Nam si ab initio voce tantummodo

